29

JOACH. JUSTI BREITHAUPT,
S. Theol. D. & P. P.

DE

PERFECTIONE PARTIUM

TRACTATIO THEOLOGICA.

EDITIO SECUNDA.

HALÆ, LITTERIS ORPHANOTROPHII,
ANNO MDCCV.
CVM PRIVILEGIO.

DISSERTATIO
THEOLOGICA.

VIRO

Plurimum Reuerendo atque Amplisſimo,

DOMINO

ANDREAE REINBECCIO,

PRÆPOSITO AC SUPERINTENDENTI LYCHOVIENSI MERITISSIMO,

PATRI SUO OMNI AMORIS AC HONORIS PIETATE PROSEQUENDO,

Salutem obſequentiſſime
dicit

filius obedientiſſimus,

RESPONDENS.

Venerande Parens !

QUam de Perfectione dissertationem vides, trado Tibi, ceu documentum pietatis in Te meæ publicum. Cui enim Theologicarum exercitationum ſpecimen dicare ſatius ſit, quam Patri amantisſimo ? cujus animo in me patrio, ac cura ſingulari, nihil mihi eſt prius, nihil antiquius. Taceo jam innumera beneficia, quibus me inde usque a primis incunabilis cumulatisſime foueiſti, ne, ſi ea non animo tantum grato recolam, ſed etiam ſolennius enarrem, in modeſtiam peccare videar. Hoc ſaltem pace Tua dixerim: quum Te, per Dei gratiam, utar Patre tam facili pariter ac pio, hoc eſt, optimo, obſtrictum me judicaui, ut, occaſione data, quouis modo meam Tibi reuerentiam exhiberem. Accipe igitur, Pater longe carisſime ! quam offero dissertationem ; & ita accipe, ut, quod facis, Teque ſemper facturum ſpero, me in poſterum etiam paterne complectaris, nec deſiſtas precibus a Deo contendere, ut quam defendo liberati arbitrii integritatem, ipſemet intra me tuear ac ſeruem, adſeruem, conſeruem. Ille ipſe Deus Te Eccleſiæ & familiæ noſtræ, ſpiritu & corpore integrum, ſoſpitet diutisſime ! Dabam Halæ d. IIX. Cal. Sept. a. M DCC III.

DE PER-

DE PERFECTIONE PARTIUM.

Quod illa Stantium ſit propria, & quidem ſine exceptione mandati primi aut ultimi.

CAP. I.

QUAESTIONIS STATUS EXPLICATUR.

§. I.

VT diſtincta cauſſæ totius de *Perfectione* pateſcat ratio, clauem optimam quærentibus, reperire licet apud CHEMNITIUM Locor. Theol. part. II. de lege Dei; ubi cap. III. agitur *de perfecta obedientia, quam lex requirit*, & cap. IIX. *de impletione Decalogi, quomodo fieri poſſint, quæ præcipiuntur*. Id enim utrobique agitur, & demonſtratione ex Scripturis ſacris, & illuſtratione ex Hiſtoriarum Eccleſiæ Antiquitatibus, ne, vel *ἀναμαρτησία, totalis* a peccato immunitas, vel *ἀδυναμία*, nouæ integritatis *impoſſibilitas*, contra veritatem, verbo Dei traditam, renatis, ſeu vere conuerſis, tribuatur.

Principio, inquit CHEMNITIUS cap. III. §. 5. *Hieronymus, cum ipsi objiceretur (Anathema sit, si quis dixerit, Deum præcepisse impossibilia) simpliciter respondet libr. 2. Dialog. adversus Pelagium: Sunt impossibilia naturæ, sed possibilia gratiæ. Et Augustinus etiam in primo conflictu cum Pelagianis, in multis locis ita locutus est: Gratia sanat voluntatem, ut voluntas sana impleat legem. Postea vero Cœlestius, Pelagii discipulus, arripuit illud axioma, & cœpit spargere illam sententiam: Ergo homo, licet non possit naturalibus liberi arbitrii viribus legi perfecte satisfacere, potest tamen, accepto Spiritu renouationis, perfecta obedientia implere legem, ita ut sine peccato esse possit; quia, quando quis satisfacit legi, quando non est reus in aliquo mandato Dei, quando lex non potest accusare aliquid in homine, &c. tunc est sine peccato, quia peccatum est ἀνομία. Ibi Augustinus coactus est diligentius scrutari testimonia Scripturæ de hoc Articulo, & explicatius tradere hanc doctrinam: quod scilicet etiam renati, qui aguntur Spiritu Sancto, non possint in hac vita pervenire ad illam perfectionem, quam lex requirit; sed electos eam habituros primum in vita futura.* Conf. Exam. Concil. Trid. de bonis operibus, sub finem.

Ex quibus intelligitur, Patres orthodoxos, ante Pelagianorum heterodoxias, *SIMPLICITER*, de lege per Spiritus Sancti gratiam implenda, & *absolute* locutos esse: deinde autem Augustinum, peruersis Cœlestii interpretationibus adactum, inuestigasse distinctius, quomodo homines legi ne ipso quidem regenerationis spiritu perfecte satisfaciant, sed altera Christi gratia, quæ remissionem peccatorum contrito corde credentibus confert, id præstet unice; id quod in Locis

cis Theol. cap. III. de Lege apud Chemnitium prolixe docetur; nec non, quomodo nihilominus vera quædam legis *impletio inchoata* ipsis fidelibus relinquenda sit, ne turpiter prolabamur eo, ut utraque gratia, *& justificationis & renouationis*, diuerso *& sensu & effectu* agnoscenda, permanere salua atque integra nequeat. Quo de periculo, euitando in utramque partem, dignissima consideratu sunt, ibidem cap. IIX. quæ verbis sequentibus commendantur.

Est UTRUMQUE verum, QUOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI &c. Rom. IIX. 3. &, ut JUSTITIA LEGIS IN NOBIS IMPLERETUR, QUI SECUNDUM SPIRITUM VIVIMUS &c. ibid. v. 4. Et in SINGULIS præceptis hæc doctrina diligenter inculcanda est: &, QUOMODO LEX SIT IMPOSSIBILIS, ET, QUOMODO IMPLETIONEM EJUS HABERE POSSIMUS. Utrinque enim PERICULOSE, & sæpe non ex IGNORANTIA, sed ex PETULANTIA erratur. Pharisæi, *quia scriptum est Ezech. XXXVI, 37. Faciam, ut in præceptis meis ambuletis: fingunt, se posse singulis præceptis PERFECTA obedientia satisfacere. Epicuri, quando audiunt: Neminem in hac vita posse legi Dei perfecta obedientia satisfacere; hoc velamine excusant omnes lapsus contra conscientiam, & fingunt, credentes nihil nec posse nec debere in mandatis Dei seruare. Sed hoc SOMNIUM æque falsum est, ac Pharisæorum DELIRIUM. Manifesta enim sunt Scripturæ sententiæ de renatis: Ezech. XXXVI, 27. Faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Jer. XXXI, 33. Scribam legem meam in corda eorum. Rom. IIX, 4. Vt justitia legis impleatur in nobis. Rom. III, v. ult. Per fidem lex non tollitur, sed stabilitur. Diligenter igitur in SINGULIS præceptis ostendendum est, quomodo & quatenus lex sit vel imposibilis, vel possit impleri. Et distinctim dicendum est de renatis, & non renatis.*

§. II. Renatos dicimus *STANTES*, ut *quæstionis subjectum* sine ambiguitate ponamus. Stantes vero dicun-

dicuntur illi adultorum inter Christianos, qui non tantum olim, ut infantes, regenerationis per Baptismum participes facti, sed a lapsibus etiam, rationis vsu commissis, quibus regenerationis gratia excussa fuerat, vera conuersi pœnitentia, gratiæ *justificantis* & *sanctificantis* compotes sunt redditi.

Accedit & hæc ratio; quod ipsa *partium perfectio* denominationem suam acceperit a *legis partibus*, quatenus hæ intra hominem *per Fidem* instauratæ ac *stabilitæ* existant. Rom. III, 31. Neque enim de ullis Conuertendis, licet verbi efficacia *præueniente* ad pœnitentiam ac fidem excitentur, *ut talibus*, Perfectio partium dici potest: nam luctantur isti adhuc ante *justificationem*, necdum partibus superandis & reficiendis integre consistunt. Simulac vero *gratia* ita fuerit *operans*, ut *fides* secundum omnes legis partes *victoriam de mundo* obtineat, 1. Joh. V, 4. opusque Conuersionis sic compleatur; ex eo ipso *actu* incipit *status* gratiæ, qui demum *stantes fideles* efficit. Unde consequitur, tantum momenti in hac quæstione versari, vt, negare partium perfectionem, nihil sit aliud, quam negare, quod in Ecclesia dentur Fideles veri seu stantes, h. e. homines vere ad Deum conuersi; ceu pluribus patebit infra.

§. III. Quando ergo de Stantibus renatis quæritur, an iis assignanda perfectio aliqua; confestim obseruamus, aduersus *Scholasticos Pontificios*, Pelagianorum vestigia, si non tenentes, certe sua ex parte imitantes, a Theologis *Protestantibus* vsum distinctionis, inter *GRADVVM ET PARTIVM PERFECTIONEM*, adhibitum

tum esse. Quum enim omnis perfectio de Fidelibus negari posse haud videretur, præsertim vrgentibus eam tot Scripturæ Sacræ locis; *Romanenses* autem, pariter ac Pelagiani, sine justo discrimine ipsam propugnarent, confusionem isthanc (*indistinctas generalitates* vocat eam *Chemnitius in Exam. Conc. Trid.* de B. operibus) munientes sacris litteris, atque harum mentem illius obscuritate premerent inuolutam: ecce! quemadmodum antea cum Pelagii asseclis *Augustinus* rem aggressus fuerat, similiter nostrates, quod reliquum inueniebant contra sui temporis aduersarios, euoluere amplius hoc argumentum studuere. Ita GERHARDVS Loc. Theol. Tom. III. de lege Dei, §. 194. postquam iis, quæ *Bellarminus* e schola Pelagianorum produxerat, ipsas *Augustini* responsiones opposuit, hæc addit: *Cæterum, VT RES SIT EVIDENTIOR, proponimus hanc distinctionem. Perfectio alia est absoluta, quam possumus vocare perfectionem graduum: alia vero respectiua & conditionata, quam docendi gratia vocabimus perfectionem partium.*

Videtur ipse quidem *Bellarminus* paulo distinctius agere, quando *impletionem legis* aliam esse *absolutam*, aliam *comparatam*, sæpe animaduertit: sed eo filo, quo discrimen illud explicare is solet, rem intricat magis, quam extricat. Quocirca digna sunt, quæ considerentur, HVLSEMANNI verba in *Manuali August. Confess. disp.* de bonis operibus: *Frequenter Bellarminum confugientem videas ad distinctionem inter perfectionem hominis absolutam, & comparatam. lib. 2. de Monach. cap. 2. & 13. lib. 1. de amiss. grat. & stat. peccati cap. 13. lib. 4. de Justific. cap. 14.* (*Quam distinctionem & nos quidem admittimus: sed tunc loquimur de facto; non de jure diuino, ac si hoc duplicem perfectionem in hac vita exigat*) *inter æqualitatem meriti &*

præmii absolutam & proportionatam, lib. 5. de Just. c. 6. 14. & 18. &c. Quibus confidenter hoc supponit, esse in Deo duplicem justitiam, rigidam & moderatam, atque ad hanc demum si opera nostra adæquentur, sufficere ad mercedem vitæ æternæ jure promerendam. Fundamentum hoc duplicis justitiæ facit Socinus 1. lib. de Seruat. cap. 1. ad eleuandam Christi satisfactionem, & asserenda operum merita & perfectionem. Ex eodem lacu disputatio de peccato veniali, sua natura tali, de satisfactione pro peccatis, purgatorio, & innumeræ absurditates aliæ euaporarunt. Qua cum obseruatione jungendam censemus & alteram, quod juxta *Bellarmin. 2. de poenit. cap. 11. prop. 3. summa monachorum perfectio sit, vitare peccatum mortale.* Circa quod effatum pergit Hülsem. ibid. Disput. 14. de Rebus ciuil. *Nemo illorum mihi visus est, qui summum Monasticæ perfectionis gradum positiue describat aliter, quam a vitatione peccati mortalis. Qui negatiue eum, aut indeterminate describunt, sibi ipsis non constant. Si cui vero non ignotum est, quantæ molis sit apud Papistas, peccatum mortale alicui impingere, existimabit profecto, rem esse minus arduam, præsente Dei gratia, ad eum monasticæ perfectionis gradum peruenenire, quem plerisque Nostrorum Laicorum, ex charitatis regula, adscribimus.* p. 589. 591. Conf. de peccatis *mortalibus* ib. c. IX.

Quam peruersa, obsecro, agendi ratio illa est, perfectionem e diuino jure, quantumuis temperato, deductam velle, & eam suspendere a sola peccati mortalis fuga! Putaris, in cœlum se extulisse Pontificiam perfectionem; quam vix e criminum manifestorum cœno euasisse, vides. Hinc tam necessarium erat, meliorem vindicare, & cum *Chemnitio*, contra Papistas non docere modo, quomodo Legi nostra perfectio nulla satisfaciat, sed etiam, quomodo *abundare* tamen debeat *justitia nostra plus quam Phariseorum, Matth. V, 20. interiores in corde crucifigere concupiscentias, mortificare actiones carnis, & repugnare prauis inclinationibus, & inchoare nouos motus con-*

sen-

ſentientes legi Dei. Loc. Theol. de Lege Dei c. VIII. & cum *Gerhardo* aliisque oſtendere, licet non aſſequamur ſummam *graduum* perfectionem, eſſe tamen *partium perfectionem*, ſeu integritatem, fidelibus propriam, quæ ſupra dictæ perfectioni Papiſticæ multo antecellat. Conf. *Gerhardus* in notis ad Matth. c. V, 48. vbi etiam diſtinguit *inter perfectionem abſolutam, ſeu graduum, & conditionatam, reſpectiuam, ſeu partium.* (easdem locutiones vide ap. D. A. C. *Schubartum* in Via ad perfect. Germ.) *Hutterus* in Explicatione Libri Concordiæ p. 230. 231. Quique hunc ſequitur *Cundiſius* in Notis ad compend. Hutter. p. 704. Jacob. *Wellerus* ad Rom. p. 732. *Dietericus* Inſtit. Catech. p. 229. 273. *Friedlib.* Medull. Theol. p. 184. *Rappolt.* Op. Theol. p. 1911. *Quenſted.* part. IV. Theol. Did. Pol. de lege. Henr. *Mullerus* Conc. Epiſt. in 1. Joh. IV, 18.

§. IV. Quum vero ante omnia opus ſit, habere exploratum, quid allata diſtinctio præciſe ſignificet, ne in ambiguis laboremus fruſtra; profuerit, ex Theologorum probatiſſimorum vsu ſensum & ſententiam indagare certiorem, atque hinc quæſtionem noſtram conſtituere. Laudatus GERHARDUS c. l. de Lege Dei, Tom. III. Loc. Theol. ſic habet: *Abſoluta perfectio eſt, quæ ſummum illum obedientiæ gradum, quem lex requirit, integre præſtat. Talis perfectio fuit in Adamo ante lapſum, talis etiam in Chriſto, qui integram ac numeris & gradibus omnibus abſolutam obedientiam legi præſtitit. In renatis talis perfectio non eſt, niſi tantum imputatione, quatenus perfecta illa Chriſti obedientia per fidem ipſis imputatur. Perfectio conditionata eſt ſincera renatorum ſecundum* TOTAM LEGEM *obedientia, in hac vita inchoata, in æterna tandem vita conſummanda; ſiue, eſt ſerium ac ſincerum ſtudium obediendi Deo ſecundum*

OMNIA

OMNIA ejus præcepta, etsi aliquid desit respectu graduum. Hanc perfectionem renatis tribui, non diffitemur. Dicitur autem hæc obedientia renatorum PERFECTA (1) *ratione omnium mandatorum, siquidem* OMNIBVS & SINGVLIS *Dei mandatis obedire studeant renati, quamuis obedientia sit inchoata. Psalm. CXIX, 6. Tunc pudore non afficiar, cum respexero ad omnia præcepta tua.* (2) *Ratione sinceritatis, qua vero & non simulato affectu, serio & non hypocritico studio, renati Deo obediunt, ac prauis motibus resistunt. Psal. CXIX, 34. Toto corde exquisiui mandata tua.* (3) *Ratione probabilis & sanctæ conuersationis, quam ducunt sine querela. Phil. II, 5. Sic Noa dicitur vir justus & perfectus in generationibus suis. Gen. VI, 9.* (4) *Ratione infirmorum, qui nondum peruenerunt ad illum cognitionis & obedientiæ gradum.* Ephes. IV, 13, 14. Hebr. V, 13. Quam & *distinctionem* inter perfectionem graduum atque partium, & *explicationem* perfectionis partium quadruplicem, iisdem fere verbis repetit WALTHERVS Harmoniæ Biblicæ p. 125. & 126. Notamus autem: (1) quartum illud membrum admittere simul in ipsa partium perfectione diuersum gradum, secundum quem alii infirmius, alii firmius eam tueantur. (2) Denominationem perfectionis hujus alterius, *a partibus*, fundari in ipso *principio normatiuo*, nimirum lege, seu præceptis Decalogi; & quidem in tota lege & omnibus singulisque mandatis, ne qua Decalogi pars excludatur. Atque hoc velle istam distinctionem, etsi id adpellatio *omnium & singulorum* ostendit satis, alii tamen idem & *negatiue* exprimunt: ut DIETERICVS Instit. Catech. p. 273. *Bona opera dicuntur in Scripturis perfecta, non ob perfectionem graduum, ob perfectam nimirum in summo gradu cum Lege Dei conformitatem; sed ob perfectio-*

ctionem partium, nempe obedientiæ inchoatæ, ſecundum OMNIA PRAECEPTA DEI, NON ALIQUA TANTUM. Ita enim BROCHMANDUS Syſtem. Theol. de Lege cap. VI. *Duplicem eſſe impletionem legis: unam partium; alteram graduum obedientiæ legalis. Impletio legis*, inquit, *quantum ad partes, ea eſt, qua quis, NON UNI AUT ALTERI PRAECEPTO LEGIS, SED OMNIBUS LEGIS PRAECEPTIS obſequi ſtudet. At impletio graduum obedientiæ legalis eſt, qua quis omnia & ſingula legis præcepta, ſecundum illam ἀκρίβειαν & ſummam perfectionem obſeruat, quam lex requirit. Illa eſt poſſibilis: quod teſtatur Dei Spiritus exemplo Joſiæ. 4. Reg. XXIII, 25. Dauidis, Pſ. XVIII, 23, 24. & Zachariæ atque Eliſabethæ, Luc. I, 6. Hæc autem poſſibilis non eſt Rom. III, 19. 20. & VIII, 3. Gal. III, 10. Sermonem autem eſſe Apoſtolo Rom. XIII, 8. de impletione legis, quantum ad PARTES, non autem quantum ad GRADUS PERFECTIONIS, e contextu manifeſtum eſt. Suadet enim Apoſtolus dilectionem proximi, quia præcepta ſecundæ tabulæ, ab Apoſtolo enumerata, ſummatim comprehenduntur in hoc ſermone: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Quærenti, cur tanta ſolicitudine Auctores omnem ullius præcepti excluſionem prohibeant, occurrit fundamentum de ipſa perfectionis, ſeu *impletionis*, natura. Poſito enim *toto*, ſeu *perfecto*, *ex partibus tali*, ponantur omnes partes, neceſſe eſt: nam partes ſimul ſumtæ, pro rei veritate, ſunt perfectum ipſum, nec ab eo *realiter*, ſeu vere, differunt. Contra, ſi partes non requirerentur omnes, perfectio, quæ poneretur, reapſe non poneretur. Itaque id egerunt Theologi, præceptorum *OMNIUM ET SINGULORUM* ſignificantius mentionem facientes, ut intelligerent Aduerſarii, nos *impletionem legis*, quæ fieri a renatis queat, non vanam aut fictam, ſed veram & *OMNIBUS*

SUBSTANTIALIBUS PARTIBUS perfectam fateri ac concedere; negare solummodo eam, quæ gradibus nullis destitueretur, & severitatem judicii diuini, sine remissione peccatorum, sustinere posset, qualem *Tridentini* comminiscebantur. Quapropter observatu dignum est, perfectionis partium *synonymum*, esse quidem *impletionem legis*, at non *impletionem legis perfectam*; etenim hæc est perfectio graduum sola: atque exinde *Romanenses* inter & *Protestantes* controversiam minime agitari hanc, num acceptis gratiæ viribus lex impleri possit; verum hanc, num perfecte impleri possit. *Removendæ sunt calumniæ*, Chemnitius ait Ex. C. Trid. de B. oper. quæst. 3. *ut STATUS QUÆSTIONIS recte constituatur. Non enim docemus, impletionem legis ita esse impossibilem, ut, qui per spiritum renovationis renati sunt, nec possint nec debeant in hac vita inchoare obedientiam legis. Quæstio est, an SCILICET PERFECTA IMPLETIONE legi divinæ plene & cumulate ita satisfaciant, ut lex divina non habeat, quod in illis bonis renatorum operibus in hac vita accusare & damnare possit, si Deus in judicium cum ipsis, sine venia & remissione, intrare vellet.*

Ceterum statuendam ita *impletionem legis inchoatam*, eamque secundum omnia præcepta accipiendam esse, consentiunt Theologi *Reformati*, quorum mentem exhibet *in Disputatione Historico-Theol. de perfectione Christiana* BECMANNUS, documentis ac verbis utens sequentibus: *Johannes Davenantius Episcopus quondam Sarisburiensis de justitia actuali cap. 51. Nos nunquam inficias iuisse, scribit, posse Renatos & spiritu charitatis imbutos, etiam hostes suos diligere, posse etiam cæteros actus facere, qui mandantur in Decalogo; sed, eos in operibus hisce faciendis assequi illam solum-*

modo, quam Theologi appellant perfectionem PARTIUM, non perfectionem graduum, notat. Cui accedit Pareus lib. 4. cap. 11. de justificatione contra Bellarm. p. 1075. ubi Bellarmino dicenti, dilectionem tam esse perfectam, vt præcepto adimplendo sufficiat; respondet: Hoc verum est de impletione mandati sincera, inchoata, qualem cum Scriptura nos tribuimus sanctis; falsum vero de impletione mandati absoluta. Ibid. p. 107. hæc habet: In locis allegatis, quæ perfectionem tribuunt aliquibus, vel ab omnibus requirunt, perfectio intelligitur, non graduum, siue is obedientiæ gradus, quem legis ἀνεξίβεια requirit; sed perfectio partium, siue integritas, opposita hypocrisi, hoc est, verus & non simulatus affectus, & studium obediendi Deo & repugnandi cupiditatibus, atque initium obedientiæ secundum omnia Dei mandata. Quibus consona docent Leidenses Theologi Synopsi purioris Theologiæ Disput. 34. th. 27. p. 460. Vbi integritatem Bonorum Operum esse ajunt, qua omnia, quæ Deus lege sua a nobis postulat, ex puro & toto corde atque ex omnibus viribus nostris præstamus, quæ alio nomine perfectio integritatis & partium nominatur. Et Disp. 32. Postquam diuersos Regenitorum gradus constituissent, & monuissent, Regenerationem, veteris hominis naturam non tantum reprimere, vt quidam male sentiunt, sed etiam abolere, & veram sanctitatem ac justitiam ejus loco substituere, quæ in Resipiscentiæ fructibus quoque resplendeat. Thesi 5. & 6. addunt: Quemadmodum vero pueri, etsi imperfectius eam exserunt, integram tamen hominis formam, omnibus suis partibus constantem, habent. Sic neminem vere resipiscentem aut regenitum agnoscimus, nisi qui formam integram regenerationis possidet, perfectione, vt loquuntur, partium, etsi quotidie ei sit proficiendum in perfectione graduum. Perfectio hæc essentialis consistit primum in eo, vt omnes facultates animæ humanæ renouentur, intellectus, voluntas & affectus, secundum OMNIA præcepta Dei; deinde vt eousque renouentur, vt peccatum in iis non regnet, Rom. 6. & vt non ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum. Rom. 8, 1. Atque hæc est illa perfectio, quam Deus ab omnibus fidelibus exigit, & qua sancti illustres fuerunt.

Perfectio nimirum, quæ proprie quidem nomen isthoc sustinet, non tamen uno semper modo, vel respectu, intelligenda est. Commune illud omnino semper remanet, quod cuilibet perfectioni completa forma propria deesse haud debeat; ipsa autem formæ ratio peculiaris cernitur in *relatione*, quæ non una obseruatur, sed diuersa esse potest: respicitur enim ad partes vel *essentiales*, vel *integrales*, vel *accidentales*, vel alias aliorum generum; unde & ratio denominandi varia emergit. Ita utique, a Theologis quæ reperitur perfectio partium in *Christianismo*, (conf. GEIERI *Meditationum mortalitatis Germanicarum LXIX. de Perfecto*) est & *essentialis* & *integralis*, licet non *gradualis* sit. At enim, ne quis forte regesserit, manere id ipsum in *quæstione;* an nempe Theologica hæc partium perfectio, quæ in hac competit vita fidelibus, partes suas omnes comprehendat: plurimum dubitationis sublatum fuerit, modo iterum ex ipsa rei indole annotemus, ad *integralem perfectionem* neutiquam requiri, vt partes vniuersas & *principales* & *minus principales* statim contineat, verum ut habeat modo illas omnes, quæ *totum integrale simpliciter consideratum* constituunt; quippe quo, ipsoque & *essentiali*, reliquæ possunt esse posteriores, quæ propterea *minus principales* dici solent. Exemplum datur in ramo, qui arbori adnascitur; vel in dentibus, qui integrum infantem sequuntur interuallo satis longo: pariter enim fit apud homines regenitos, ut radicem quidem omnium virtutum foueant, fidemque per charitatem exserant secundum omnia & singula præcepta, magis magisque autem experiantur, quam multi & *profectus* & *defectus* superstint; circa quos si gratia laboret, quoad potuerit, certe

te vtrinque non prohibetur, quo minus integritas fidei ac charitatis, quæ ipsa est perfectio partium, sibi constet. Atque idcirco nihil quærendum restat, nisi hoc tantum, utrum integritas illa, secundum omnia & singula Decalogi præcepta, sit fidelibus, vere *talibus*, omnibus ac singulis tribuenda; an semper adhuc eatenus pars *constitutiua* aliqua desideretur. Nunc enim perfectionem partium considerамus, non tam *comparatiuam*, qua deinceps prouectiores augentur in dies, quam potius *in se spectatam*, & *abstractam a gradibus*; sine qua nec Poenitentia seu *Conuersio* vera & *completa*, nec *Regeneratio* esse queat, nedum *Renouatio*, *strictius* apud eruditos accepta.

Concludamus hanc vocabulorum euolutionem judicio *Theologico* æque ac *Historico* G. J. VOSSII, *Historiæ Pelagianæ* lib. V. part. I. quod in hoc negotio grauissimum facile agnosci potest. *Catholici*, inquit, (Pelagianis, omnimodam perfectionem obtrudentibus) *respondebant; per eam perfectionem* (quæ in Scriptura sanctis attribuitur) *intelligi tum sinceritatem, siue verum & non simulatum studium obediendi* OMNIBVS DEI MANDATIS; *tum obedientiæ istius* ACTVALEM IMPLETIONEM, *sed pro modulo hujus vitæ, & comparate ad alios fideles: non plenam & omnibus numeris absolutam. Nempe quomodo domus vocatur, quæ etiamnum exstruitur. Quod fieri triplici potest respectu. Primum ratione initii ac desiderii; ut sit* συνεκδοχὴ *partis, &* μετωνυμία *finis. Deinde comparatione promissi, ut si quis quod ædificio deest, hoc de suo se suppleturum receperit. Similiter igitur justitiam hujus vitæ perfectam dici censent* (1) *inchoate siue* κατὰ συνεκδοχὴν, *initii & desiderii ratione;* (2) *comparate, siue* κατὰ σύγκρισιν, *ratione impiorum &*

imperfectiorum. (3) *euangelice, sed cum velamento gratiæ; quia omnia facta deputantur, quando, quod factum non est, ignoscitur. Quibus addere possumus, quod vulgo* NON APTE MINUS, QUAM VERE *dicitur, aliam esse* PERFECTIONEM PARTIUM, *aliam* GRADUUM. *Puer perfectus est priore significatu, non posteriori. Ita Christiani sunt perfecti, quatenus serio student ambulare, ac reapse ambulant,* NON IN UNA PARTE, AUT CERTIS PARTIBUS, SED OMNIBUS PRÆCEPTIS DOMINICIS, *nullam eorum partem ab obedientiæ suæ studio separantes. Hanc & Catholicorum veterum fuisse sententiam, clare eorum verbis docere possumus.* De quibus plurima documenta ibidem producuntur. Cum iis congruit descriptio WENDELINI, Christianæ Theol. lib. I. cap. XXVI. *Partium perfectio est, qua totum aliquod omnibus suis partibus integrantibus constat, etsi partes integrantes ad justam perfectionem & maturitatem nondum peruenerunt: vt videre est in corpore infantili. Graduum perfectio est, qua totum aliquod omnibus suis partibus integrantibus ita constat, ut justam quoque perfectionem & maturitatem partes singulæ sint adeptæ, ad quasuis sufficientes & idoneas actiones: ut videre est in corpore virili.* Neque alia est sententia *Metaphysici* SCHARFII, Metaph. Disp. XVIII. *Perfectio partium habet totalitatem partium sibi debitarum. Sic perfectione partium illud dicitur perfectum, quod constat omnibus partibus, ad ipsius integritatem spectantibus. Perfectio graduum appellatur, quæ omnibus gradibus debitæ suæ perfectionis gaudet, abundatque quadam excellentia.*

§. V. At vero etiam atque etiam cauendum, ne huic disquisitioni inanis verborum contentio subesse videatur, qua nihil pestilentius, nihilque ab animo atque instituto nostro alienius est. Esset λογομαχία, si urgeremus locutionem, quæ in Scripturis sacris haud fundaretur. Nec λογομα-

γομαχία non esset, si eam, quæ vocibus iisdem nusquam legeretur in verbo Dei, propter sensum quendam visum incommodum repudiatam nullo modo vellemus, si tamen veritas, designata ipsius vsu, aliis sub dictionibus reliqueretur æque salua & integra. Quando autem ratio, ex qua in dubium vocatur usitata perfectionis partium notatio, nulla est alia, quam quod dubitetur de re ipsa; an scilicet omnes partes, ad ejusmodi *perfectionem integralem* necessariæ, in veris fidelibus dentur: hic sane quæstio instituitur, non de *verbis* meris, sed de ipsa *rei veritate*. Hæc denique si ita comparata fuerit, ut diuinitus patefactum Euangelii & salutis ordinem ingrediatur, quid apertius aut manifestius, quam elaborandum esse omni studio, ut dubia opposita discutiantur, verborumque ac rerum tantarum usurpatio sarta tecta conseruetur ab omni detrimento?

AUGUSTINUS, si quis unquam maxime, nitebatur eo totus, ne quid *Pelagianis*, perfectionem ex facultate humana temere deriuantibus, contra doctrinam sanam cederetur: veruntamen is ipse proptetea *non dubitabat fateri, Deum possibilia mandasse, & quidem sensu isto, quod & singula & omnia, singuli omnesque fideles per gratiam Dei implere valeamus;* quæ iterum verba sunt VOSSII *Histor. Pelag.* l. c. confirmantis idem testimoniis Augustinianis. *Quanquam vero simul crederet Augustinus*, (cum *Historico* adhuc loquor ex iis, quæ apud ipsum antecedunt) *neminem a conuersione sua, vel certo tempore majoris profectus in pietate & sanctimonia, omne omnino peccatum euitasse: tamen si quis hac parte dissentiret, tolerabiliter erraturum putabat; dummodo eum, quem ad apicem istum perfectionis peruenisse existimaret, hunc consecutum putaret, non per naturam, sed per gratiam Spiritus Sancti; dum item*

item alium potius talem fuisse, esse, vel fore existimaret, quam se ipsum; nisi forte certissimo indicio (qualis esset reuelatio diuina) isthoc de se esset edoctus. Ipsa Augustini dicta fere sunt repetita; adduntur autem loca *Patristica* multo pluribus. Conf. Hülsemanni Man. A. C. Disp. III. p. 124. Non jam disputabimus, rectene satis a Patre, an secus, posterioris membri conditio ultima prioribus subjuncta sit, quam de quoquam affirmare ausit nemo: id modo attendamus, velim, qua mente is controuersias tractarit. Animaduertimus enim, sic sensisse illum, vt in dogmatibus non tam errorem, censuerit, quam in hoc ipso id, quo *PERNICIOSE* homines *FALLERENTUR*, (ita loquitur lib. de Spiritu & Littera cap. II.) acerrime carpendum esse. Quod exemplum, si non eodem, at saltem isto imitandum est modo, ne quid desiderari fingamus in *verbis*, quibus exterminatis momenta *rerum* maxima euertantur. Ecquid deplorandum magis, quam si a docentibus *impletio legis* crude negetur fieri posse, unde legentes vel audientes ansam capiant, diuinæ voluntatis implendæ curam abdicandi? vel, si quis in *perfectionem* ipsam inuehatur, & hinc odium ejus concipiant homines, quam Christus & Apostoli tantopere commendant? Nempe ita fit plerumque, ut circa ea, quæ ipsius Christi sunt, ex quacunque abusus specie velamen carnis ac malitiæ induatur, idque aliis *ignorantibus*, ultroque arripientibus, temere offeratur, ingenti cum animarum damno: quum contra, monstrato errantium *abusu*, ipsa illa, *quæ Spiritus Dei sunt*, purgata ab interpretatione sequiori, tanto fidelius atque ardentius præcipienda sint. Quæ quidem *quæstionis fallacia* est illa, sicut initio præmisimus, quam præcipue in *doctrina de lege* in utramque partem detestari jubet Chemnitius, tanquam (ut ipsius verbis

bis utamur) *ignorantiam aut petulantiam, grauissime a Deo puniendam;* ne videlicet videamur, vel *justificationem* ex *perfectione inani* quærere, quæ, sano de partibus sensu, vera illam, ceu fructus, consequitur; vel perfectionis hujus studium persequi hostiliter, cujus potius cursum intra limites suos dirigere oportebat. Crediderimus equidem, non omnes, aduersus perfectionem pugnantes, fraudem istam intendere: qui debebant tamen meminisse, quod hanc certo ex humana imprudentia struat diabolus, cujus (τὰ νοήματα) *machinationes* non susque deque habendæ sunt. 2. Cor. II, 11. Atque hæc etiam est caussa, qua adducti circumspectius statum ejus, quod in quæstione est, ante oculos ponendum, sumus arbitrati.

§. VI. Antequam ad specialiora progrediamur, generalius unum de Perfectione Christiana judicium adhuc præmittemus, in quo, constructo e S. litteris, totius argumenti cardo versatur. Sic enim HORNEIUS Disp. Theol. part. II. disp. IV. p. 506. &c. „Cum supra multis probaue„rimus, justitiam illam inhærentem in hac vita simplici„ter & absolute quidem perfectam non esse, quæri potest, „an ergo nulla ejus perfectio sit, & si qua est, quanta illa „sit vel esse possit aut debeat. Et sane negari non potest, „cum animi illa renouatio non simul & semel fiat, sed pau„latim crescat, non initia tantum aliqua justitiæ illius in„hærentis, sed incrementa quoque & *PERFECTIONEM* „*ESSE*: vnde in tota doctrina Christi alii sunt infantes ad„huc, qui lactis potu indigent, sicut scriptum est 1. Cor. „III, 1. *Ego porro, fratres, non potui loqui vobis ut spiritualibus,* „*sed ut carnalibus, ut infantibus in Christo: lactis potu vos alui,* „*& non esca: nondum enim poteratis id ferre, & ne nunc qui*„*dem potestis*; alii vero in fide & agnitione Filii Dei jam

„adoleuerunt, qua de re Eph. IV, 11. ſcriptum eſt: *Dedit*
„*alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euange-*
„*liſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad compactionem ſanctorum,*
„*ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, donec per-*
„*ueniamus nos omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei,*
„*εἰς ἄνδρα τέλειον in virum adultum, ad menſuram plenæ ſtaturæ*
„*Chriſti, ut ne ſimus amplius pueri, qui fluctuemus & circumfera-*
„*mur quouis ventu doctrinæ; - ſed ſincere nos gerentes in chari-*
„*tate, ἀυξήσωμεν εἰς ἀυτὸν τὰ πάντα, in eo prorſus adoleſca-*
„*mus, qui eſt caput Chriſtus.* Quare etiam Scriptura horta-
„tur, ne in rudimentis illis doctrinæ fidei & pietatis ſub-
„ſiſtamus, ſed ad perfectionem contendamus, Hebr. VI,
„1. *Quapropter omiſſo, qui in Chriſto rudes inchoat, ſermone, ad*
„*perfectionem feramur, non jacientes rurſum fundamentum reſi-*
„*piſcentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmatum do-*
„*ctrinæ, ac manuum impoſitionis & reſurrectionis mortuorum &*
„*iudicii æterni.* Et Paulus ita ſe facere dicit Philipp. III,
„13. *Fratres, ego me ipſum non reor (metam) apprehendiſſe: u-*
„*num autem ago, ea quidem, quæ a tergo ſunt, obliuiſcens, ad ea,*
„*quæ a fronte ſunt, contendens, ſcopum verſus feror, ad præmi-*
„*um ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦ-*
„*το φρονῶμεν. Quotquot itaque perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*
„Nec dubitari poteſt, idem omnibus faciendum eſſe, qui-
„bus cordi eſt pietas & propria ſalus? ſicut enim qui e-
„ruditionem amat, & verum aliquem ex ea fructum
„percipere cupit, non in rudimentis litterarum ſemper
„hæret, ſed quantum poteſt, in ſtudiis ſe confirmat ac
„perficit; ita de pietate quoque comparatum eſt: quin id
„præterea hîc accidit, ut ſi quis in ea non procedat, &
„relictis, quæ a tergo ſunt, ſubinde ad anteriora contен-
„dat, is non tantum nihil proficiat, aut in curſu ſubſi-
„ſtat, ſed retro feratur, & ea etiam, quæ didicerat, de-

diſcat,

„ diſcat, ac leui negotio omnia euertat. Deinde id etiam „ certum eſt, pietatis ſtudium, ſi ſerium non ſit, nullum „ eſſe; tale autem non eſt, cum non ex toto corde credi- „ mus, aut Deum & proximum diligimus: unde merito „ Philippus Diaconus eunucho dicebat: *ſi ex toto corde cre-* „ *dis, licet.* Et Paulus 2. Tim. I, 5. Timotheum commendat „ *ob fidem minime ſimulatam.* Et Jacobus cap. I, 6. ait: *Poſtu-* „ *let cum fide, minime dubitans: nam qui ambigit, ſimilis eſt flu-* „ *ctui maris, qui ventis agitatur & jactatur.* De charitate au- „ tem lex ipſa ita loquitur Deut. VI, 5. *Diliges Dominum* „ *Deum tuum ex toto corde, & toto animo, & omnibus viribus*: & „ Leuit. XIX, 18. *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Idque „ repetit Chriſtus Matth. XXII, 37. Luc. X, 27. & alibi. Nec „ aliter Paulus 1. Tim. I, 5. *Finis mandati*, inquit, *eſt chari-* „ *tas ex mundo corde, & conſcientia bona, & fide minime ſimu-* „ *lata.* Et 1. Joh. III, 18. dicitur: *Filioli mei, ne diligamus ver-* „ *bo, neque lingua, ſed facto & veritate.* Et additur: *Et per* „ *hoc cognoſcimus, nos ex veritate eſſe, & coram ipſo ſecura red-* „ *demus corda noſtra.* Ex toto autem corde Deum non „ diligit, qui non ſupra omnia eum amat, h. e. etiam cha- „ riſſima ejus amori poſtponit: unde Chriſtus Matth. X, 37, „ dicit: *Qui amat patrem aut matrem ſupra me, non eſt me* „ *dignus, & qui amat filium aut filiam ſupra me, non eſt me di-* „ *gnus.* Et Luc. XIV, 26. idem hoc ſic exprimit: *Si quis ve-* „ *nit ad me, & non odit* (contemnit præ me cum aliter fie- „ ri non poteſt) *patrem ſuum & matrem, & uxorem, & libe-* „ *ros, & fratres, & ſorores, atque adeo etiam animam* (vitam) „ *ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Sed nec proximum „ ſicut ſe ipſum amat, qui non, quæcunque voluerit, ut ſibi „ fiant, hæc aliis facit, ſicut Matth. VII, 12. ſcriptum eſt: nam

„vera charitas *iram cohibet, benigna eſt, non inuidet, non a-*
„*git perperam, non inflatur, non agit indecore, non quærit quæ*
„*ſua ſunt, non exacerbatur, non cogitat malum, non gaudet in-*
„*juſtitia, gratulatur autem veritati, omnia tegit, omnia ſperat,*
„*omnia ſuſtinet*, ut deſcribitur 1. Cor. XIII, 4. Unde et-
„iam *connexus perfectionis* vocatur Coloſſ. III, 14. & *impletio*
„*legis* Rom. XIII, 10. Quare ut recte credamus, & Deum
„& proximum ſincere diligamus, res ſane ardua eſt, *NEC*
„*PARVAE PERFECTIONIS.* Et hæc ergo ita ſe omnino ha-
„bent. Nec minus tamen vera ſunt, quæ ſupra aſſerta,
„neminem ad tantam in hac vita juſtitiæ perfectionem
„pertingere, ut non ea ſemper cum magna adhuc im-
„perfectione & imbecillitate conjuncta maneat, donec
„ad alteram illam perueniatur. Unde jam facile intelli-
„gitur, omni Chriſtiano duo hæc cumprimis neceſſaria
„eſſe, unum, ut veræ pietati non perfunctorie, ſed ſerio
„ſtudeat, nec recte tantum inchoet, ſed, quantum in
„hac infirmitate fieri poteſt, ad perfectionem ſubinde
„feratur: ita enim non ficte, ſed ex toto corde Deum colet,
„nec unquam in ſtudio virtutis & pietatis ſegneſcet, ſed
„*exercebit ſe*, Pauli exemplo, *ad conſcientiam habendam ſine of-*
„*fenſa apud Deum & apud homines ſemper*, ſicut Act. XXIV,
„16. ſcriptum eſt: alterum, ut quantumcunque profe-
„cerit, ſciat multum adhuc ſibi deeſſe: ſic enim ſuperbi-
„am & præſumtionem cauebit, *& cum fecerit omnia, quæ edi-*
„*cta ſunt nobis, dicet: Seruus inutilis ſum, nam, quod debui facere, fe-*
„*ci*, ut Chriſtus ipſe præcipit Luc. XVII, 10. Nec ideo animo
„concidat, quod imperfectum ſe eſſe ſentiat: nam ut S.
„Auguſtin. expoſ. Pſ. CXXXIIX. docet, *omnes in ejus libro*
„*ſcribentur, non perfecti ſolum, ſed etiam imperfecti. Non timeant,*
„inquit, *imperfecti, tantum proficiant. Nec, quia dixi, non timeant,*

ament

„*ament imperfectionem, & ibi remaneant, ubi inuenti sunt;*
„*tantum proficiant, quantum in ipsis est. Quotidie addant, quoti-*
„*die accedant, tamen a corpore Domini non recedant.* etc.

Hactenus HORNEIUS, qui loco priori incrementa, Perfectionem appellat; (conf. JUST. GESENIUS in 1. Thess. IV. Conc. Epist. II. Domin. Reminisc.) sed posteriore ipsam charitatis erga Deum ac proximum sinceram mentem ac curam, de qua nobis in hac disputatione potissimum sermo est: utroque autem sensu Perfectio Partium a Theologis adhibetur, ut jam supra monuimus §. IV. Ibidem adductis Auctorum, de distinctione ipsa, testimoniis simul junctum volumus sequens RIVETI, Exerc. 52. in Genes. p. 215. *Perfectio alia est absoluta, quam GRADUUM PERFECTIONEM appellare possumus: alia Respectiua & Conditionata, quam PARTIUM PERFECTIONEM dicere possumus. Absoluta perfectio iterum est duplex:* (1) *Qualis fuit in Adamo in statu innocentiæ: in quo erat perfectio partium & graduum, quia in justitia originali creatus carebat omni prorsus peccato, sed tamen natura sua mutabilis & nondum confirmatus gratia, qua labi non posset, non erat ab omni peccandi periculo liber, ut nunc sunt Angeli sancti & pii homines beati. Altera est saltem per æquivalens talis. Nam justitiæ Christi imputatio & peccatorum remissio supplet ejus defectum, per quam pro justis & immaculatis habentur apud Deum, qui in Christum credunt. De ea perfectione, quam in Christo habemus, in quo etiam legis justitia impletur a nobis, loquitur Apostolus Coloss. I, 28. II, 10. Ebr. X, 4. Perfectio vero inchoata per OMNES partes in nobis, etsi non absoluta per gradus, est sincera & ἀνυπόκριτος secundum TOTAM LEGEM obedientia, siue sincerum ac serium studium obediendi Deo secundum omnia ejus præcepta; etsi respectu graduum aliquid desit, & admisceantur ex humana infirmitate reliquiæ.*

Mente igitur circa rem tractandam, ipſiusque differentiam, ſatis declarata; pergimus ad propoſitæ locutionis & quæſtionis vindicationem, ut Theologicis rebus par eſt, demonſtrandam.

CAP. II.
THESIS FIRMATUR.

AD demonſtrandum, quod perfectio partium, dicto ſenſu accepta, ſalua Euangelii veritate negari nequeat de *Stantibus*; duo principia confici debent: (1) *Legis diuinæ partem nullam fidelibus veris deeſſe.* (2) *Ubi pars legis ulla defuerit, gratiam nullam eſſe.* Quibus ſat perſpectis, in hac cauſſa antiquæ poſitionis firmitudinem labefactare nihil poterit. Sunt autem ejus inter ſe affinitatis, ut, qui utrumuis recte norit, eo ipſo, neceſſaria ambo eſſe, agnoſcat.

PROPOSITIONIS I. DEMONSTRATIO.

I.

DE Stantibus quando affirmamus, diuinæ legis partem nullam iis deeſſe, ſeu, quod idem, *nulla non præcepta*, h. e. partes Decalogi omnes & ſingulas, ab ipſis impleri: ſupponimus, *Stantes*, h. e. veros *Fideles* quoslibet, eo *gratiæ ſtatu* gaudere, vt in iis *Lex per Fidem ſtabilita ſit.* Hoc contra Judæos Paulus docet Rom. III, 31. *Legem igitur inutilem reddimus Per Fidem? Abſit! immo legem ſtabilimus*, νόμον ἱστῶμεν. Neque eſt, quod putemus, id de *Credentibus* non capiendum *inhæſiue*, ſed tantum *imputatiue*, quatenus abſolutiſſima Chriſti obedientia imputetur illis ex Fide; qua de *juſtificatione* Apoſtolus ibi egerit: nam, etſi hoc verum, nec negandum eſt, ad ipſam *imputationem*, tanquam fundamen-

damentum, ſimul omnino reſpici; tamen, ſi de hac ſolum accipiatur dictum illud, nihil eo aduerſus Judæos obtinuiſſet Doctor gentium, ſed iſto ſenſu obfirmati eſſent amplius in calumnia, quaſi doctrina de *Fidei imputatione* Legem, & finem legis ſanctitatem, peruerſo modo negligeret ac impediret. Quod conuicium ut reſcinderet Paulus, alteram Euangelii proprietatem una commendatum ibat; reſpondens, Fidem & *juſtificandi* & *ſanctificandi* pollere efficacia, tametſi diuerſa *operandi ratione*; quam utramque capitibus ſequentibus porro declarauit. Et loci & mentis hujus interpretatio clarior affertur Rom. VIII, 3, 4. *Quæ legis erat impotentia, cum viribus eſſet deſtituta per carnem, Deus, ſuo ipſius filio miſſo in forma conſimili, carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne: ut jus illud legis compleatur in nobis, quatenus non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.* Hæc iterum, nulli negamus, de *juſtificatione*, quæ per fidem fit, agere; id quod euincit *emphaſis* vocabuli, δικαίωμα: quod quomodo opponatur utrique ſuo conjugato δικαιοσύνῃ, juſtitiæ, & δικαιώσει, juſtificationi, optime docet SPENERUS *Juſtitiæ fidei* cap. VIII. p. 1248. attamen ſecum illa inferre *Sanctificationis effectum*, ex *appoſito* palam eſt. Quod autem, & qua ratione, hoc poſterius prius effatum expediatur, dilucide ſic exponit BEZA in *Notis: Aliud eſt*, inquit, δικαίωσις, *id eſt, abſolutio noſtra, quam τὸ δικαίωμα, de quo ſupra ad Rom. I, 32. illud ipſum, quod requirit lex, ut ex ejus præſcripto juſti & integri coram DEO cenſeamur. Nam quum ad peccatorum remiſſionem, & impletionem juſtitiæ, acceſſit etiam hoc tertium, id eſt, PERFECTA NATVRAE NOSTRAE INTEGRITAS (quæ omnia gratis conſequimur in Chriſto per fidem apprehenſo;) ut in omnes facies ſe conuertat Satan, juſti ſumus coram Deo, etiam ex abſolutiſſima*

sima Legis formula. Quamobrem etiam dixit Apostolus supra c. III, 31. se legem non euertere, sed STABILIRE. Porro idem scite explicat rem ipsam, ad τὸ ἐν ἡμῖν, in nobis. *Non dicit Apostolus,* ὑΦ' ἡμῶν, *a nobis. Neque enim idcirco nulla in nobis est condemnatio, quod justitia in nobis sit inchoata; sed quia in Christo sumus, in quo plene sumus sanctificati. Nam quod de imputata Christi sanctificatione dicimus, ita accipiendum est, ut sciamus, non idcirco nos sanctos coram Deo haberi, quod Christi hominis integritas sarciat, quod nostræ deest; sed, quod ille nos in solidum sanctificauit in sese in æternum. Quorsum igitur, dices, illa justitia in nobis per eundem Christum inchoata? Nempe, ut sit testis, nos in Christo esse, in quo omnia sumus adepti. Ideo Apostolus admodum apposite subjicit, quæ ad nostræ illius in Christo coeptæ justificationis usum pertinent; ut intelligamus, quod verissimum est, FRVSTRA DE FIDE AC CHRISTO APPREHENSO GLORIARI, QUI RE IPSA NON OSTENDVNT, SE CHRISTI SPIRITVS ESSE PARTICIPES.*

§. II. Ita ergo per fidem stabiliri, seu impleri, & *inhæsiue* in nobis legem, ex mente Apostolica, adhuc confirmamus Ecclesiæ testimoniis. CHEMNITIUS de lege Dei c. VIII. *Quando*, ait, *de renatis loquimur, RECTE dicitur, ab illis impleri legem DVOBVS modis.* (1) *Fide & imputatione.* (2) *Inchoatione, seu noua obedientia ex fide. Et simul verum est, sanctos debere agnoscere, se procul abesse a PERFECTA IMPLETIONE legis in hac vita.* Item: *Paulus duplicem impletionem Legis tribuit renatis.* (1) *Ad justitiam omni credenti, ut nihil condemnationis sit, quia Deus misso Filio præstitit, & damnauit peccatum.* (2) *Ut justificatio legis in nobis impleatur, qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum viuimus.* Qua in re vestigia premuntur *APOLOGIAE* Aug. Conf., præclare ista omnia enarrantis p. 48. *Scriptum est apud Prophetam: Dabo legem*

gem meam in corda eorum. Et Rom. III, ait Paulus: LEGEM STABILIRI, *non aboleri* PER FIDEM. *Et Christus ait*: *si vis ingredi in vitam, serua mandata.* Item: *Si dilectionem non habeam, nihil sum. Hæ sententiæ & similes testantur, quod oporteat Legem in nobis inchoari, & magis magisque fieri. Loquimur autem non de ceremoniis, sed de illa lege, quæ præcipit* DE MOTIBUS CORDIS, *videlicet de Decalogo. Quia vero* FIDES AFFERT SPIRITUM SANCTUM, ET PARIT NOVAM VITAM IN CORDIBUS, NECESSE EST, QUOD PARIAT SPIRITUALES MOTUS IN CORDIBUS. *Et qui sint illi motus, ostendit Propheta; cum ait: Dabo legem meam in corda eorum. Postquam igitur fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere & exspectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimis & diligere proximos, quia* CORDA HABENT SPIRITUALES ET SANCTOS MOTUS. Similiter p. 84. *Christus ad hoc datus est, ut propter eum donentur nobis* REMISSIO PECCATORUM, ET SPIRITUS SANCTUS, *qui nouam & AETERNAM VITAM ac AETERNAM JVSTITIAM in nobis pariat. Quare non potest lex VERE FIERI, nisi accepto Spiritu Sancto per fidem. Ideo Paulus dicit,* LEGEM STABILIRI *per fidem, non aboleri, quia* LEX *demum* FIERI POSSIT, *cum contigit Spiritus Sanctus.* p. 85. *Profitemur igitur, quod* NECESSE *sit, inchoari* IN NOBIS, *& subinde magis magisque* FIERI LEGEM. *Et complectimur simul utrumque, videlicet spirituales motus & externa bona opera.*

NOTA. (1) *Scriptura & Libri Symbolici* de Lege loquuntur, non tantum *objectiue*, sed plerumque & *subjectiue*; non tam quatenus *in se*, tanquam doctrina extra hominem spectari solet, quam prout ipsa instaurata in Fidelium conscientia consideratur, ita ut fide sentiant, ei a

Chriſto ſatisfactum, nouisque vitæ ſpiritualis viribus imbuti, indolem ejusdem, mentem ac typum, intra ſe exprimant. (2) Legis, per Fidem in *juſtificatis* ſtabilitæ, fructus *immediatus* eſt, ut carnis concupiſcentiam Spiritu mortificantes, Spiritum inhabitantem retineant, & juxta hunc ambulent. Rom. VIII. cum v. 4. conf. v. 13. (3) Hinc lex a renato *vere fieri poteſt*, ut *Apologia* teſtatur, interioribus illis ſpiritualibus motibus atque affectibus ipſi conſentientibus, & externis operibus.

§. III. Ex præmiſſis ſupereſt quærendum, utrum *tota* Lex ſtabilita ſit in regenitis; anne partium una, vel plures, ut aliquæ deeſſent? Nihil vero eſt, cur dubitemus, quum *abſolute* Scriptura de lege dicat; de ipsa tota, h. e. omnibus ejus partibus, ſimul ſumtis, *prædicatum* affirmari. *TOTA LEX*, inquit Chriſtus Matth. XXII, 40. *pendet in duobus illis mandatis*, de charitate erga Deum atque homines. Alterutrum autem ſi tollas a fidelibus; legem in ipſis ſtabilitam, nemo dixerit. Nec charitas vera amplius eſt, ſeu Dei, ſeu proximi, ſi aliquam ejus partem vel præceptum ullum excipiendum putes: quemadmodum & totam catenam rumpit, qui unam ejus particulam. Audiamus ipſum ſui interpretem *Paulum* Gal. V, 14. quod *omnis lex* uno dilectione verbo compleatur; & Act. XX. quomodo legem apud Epheſios per fidem ſtabilierit: *Omne Dei conſilium*, ait, *annunciaui vobis*, *v.* 27. *nec prætermiſi quidquam eorum*, *quæ conducerent*, *docere vos publice & domatim*. v. 20. Si quis in contrarium cogitet; ita quidem tradi legem integram *docendo*, & forte etiam *intelligendo* accipi, nec partem ullam ſubtrahendam eſſe; dubium manere tamen de facultate præſtandi ea, quæ præcipiantur, an ſecundum

hanc

hanc, per omnia & singula, Lex in fidelibus instaurari possit : ad hunc scrupulum eximendum recognoscamus, qui fiat, ut, *justificati non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulent, Spirituque Dei agantur*. Rom. VIII, 4. 14. Ex quibus Apostolicis dictis aduersus Pontificios SPENERUS in *Justitia Fidei Evangelica* c. IV. p. 532, 3. optime obseruat; Spiritum non ducere fideles tantum *partialiter*, nec aliquam legis partem excludere, sed ut unum, ita & omnia præcepta Dei urgere adimplenda. Jam vero, si filii Dei hunc Spiritus ductum sequi, & juxta eum incedere valent, immo ambulant, tatente Scriptura; non potest non lex in iis, sub *uniuersali* partium *respectu*, stabilita esse, tam ad præstandum, quam cognoscendum. Quæ quidem res, tanquam negotii nostri nucleus, ut pateat euidentissime; antequam e Scripturis eam demonstrare pergamus, *ambiguitas*, quæ circa *Legis definitionem* veritati huic penetrandæ impedimentum affert maximum, penitus remouenda est.

Notandum igitur, id quod modo indicauimus, diuinam legem in sacris litteris spectari dupliciter; vel *objectiue*, vel *subjectiue*. Propterea, qui solummodo *objectiue* Legem intuentur *moralem*, per eam intelligunt nihil aliud, quam jussa Dei, quæ tabulis Decalogi continentur, tanquam externa signa voluntatis diuinæ. *Subjectiue* autem si quis eandem recte intuetur, juxta Scripturæ sensum haud sane excludenda est norma agnita, sed tum legis nomine notatur magis status animi, legem vel detinentis in injustitia; vel exprimentis, Spiritu fidei & charitatis: hic enim apud veros fideles est ipsa imago Dei (*attributorum diuinorum* & æternæ voluntatis simulacrum, ipsorumque mandatorum exteriorum *typus*) interius viuide in-

inſtaurata. Conf. Rom. I, 18. VIII, 2, 3. Atque hic *conceptus ſubjectiuus*, de Spiritu diuinitus collato, eſt ſimplex, adeoque facillime ad legis impletionem ſignificandam adaptandus: ille *objectiuus*, licet ſimiliter poſſit contrahi, ut Apoſtolus annotat Gal. V, 14. *Tota lex uno verbo completur iſto: Diliges proximum tuum, ut te ipſum:* tamen, ut pluribus Lex præceptis conſtat, *compoſitus* eſt, atque impedit, quo minus ſtatim aſſequar, qui fiat, ut Lex, quamdiu Spiritus ille manſerit, non poſſit non tota præſtari. Simili ut rem illuſtremus conſiderandi modo: ipſum Deum O. M. qui ſuſpexerit, qualis in ſe eſt, quo ſimpliciorem de Spiritu ſimplicisſimo ſenſum potuerit concipere, eo minus aberrabit; qui autem majeſtatem illius miratur ſecundum *attributa* diuerſa, etſi nihil perperam facit, tamen per contemplationem quaſi partium exteriorem, facilius errori fuerit obnoxius. Quemadmodum ergo quispiam negauerit v. c. juſtitiam Dei *vindicatiuam*, ex eo, quod hanc cum amore Dei, miſericordia, & reliquis bonitatis infinitæ reſpectibus, conciliare neſciat, immemor integerrimæ lucis, quæ *conſumens ignis eſt* Hebr. XII, 29. ita non mirum pariter, quod præceptionem legis variam, ipſiusque ſublimiores partes reſpicienti, difficile videatur creditu, ipſarum nullam deeſſe hominibus, *primitias Spiritus* adeptis. Fatendum equidem, in comparatione data ineſſe diſſimilitudinem; in uno tamen illo, quod quærimus, una eademque eſt prorſus ratio: videlicet, complurium *effectuum*, pertinentium ad unicum operationis principium, nullos negandos, ubi hoc æque ad eos determinatur in *Subjecto* idoneo. Sumatur obuium magis ſimile ex *genere naturalium*, e. g. de efficaci medicamento, præſtante virtutes plurimas; vel, de igniculo, innumeras conclauis latebras illuminante.

te. Quis rerum harum adhuc ignarus, ſibi perſuaſerit, tam multiplicem efficacitatem effluere ex uno ſpiritu, aut ſemine, aut lumine minutisſimo? Videbantur ſingulæ Totius partes non poſſe impleri, niſi unaquæque ſeorſim ſuum ſemen, aut ſuum proprium lumen, reciperet. Cujusmodi cogitatio, ut ex virtutum quarundam naturalium inſcitia poterat prouenire, ſic multo magis ſimiliter hæſitatio occurrit in diuinis, multo ſublimius ſe habentibus. Quo Chriſtus ipſe digitum intendit Matth. VI, 22,23. *Lucerna corporis eſt oculus, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, TOTUM corpus tuum lucidum erit: quod ſi oculus tuus malus fuerit, TOTUM corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ?* Et Luc. XI, 33, 34, 35, 36. *Nullus, ſi lucernam accenderit, in occulto ponit eam, neque ſubter modium, ſed in candelabrum, ut, qui ingrediuntur SPLENDOREM videant. Lucerna corporis eſt oculus: cum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, TOTUM quoque corpus tuum lucidum erit: cum vero malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Conſidera ergo, num lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. Itaque ſi corpus tuum TOTUM lucidum fuerit, NON habens ALIQUAM PARTEM tenebroſam, erit lucidum TOTUM, ut cum lucerna fulgore te illuſtrat.* Loquitur ſane hic Dominus de Lege, *ſubjectiue* ſpectata, de ſtatu *oculi*, ſeu intentionis animi, qua homo omnes totius ſui negotii partes conſiderat: quæ vel *lex peccati & mortis eſt*, vel *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu.* Rom. VII, 24, 25. VIII, 2. dominans, vel *caro*, vel *Spiritus.* Gal. V, 16, 17. Sicuti ergo oculus ſe habet ad corpus & partes corporis, ſic caro vel ſpiritus ad obſeruationem mandatorum Dei. Lucerna ſi pleno aliquem fulgore illuſtrat, totum ejus lucidum eſt corpus, non amplius habens *tenebroſam partem aliquam*; ita, ſi lex Spiritus per regenera-

tionem cor hominis irradiat, *LEX* etiam *TOTA* externa impletur eatenus, ut ejus pars nulla sit, cui spiritualis mens atque indoles, in animo humano per Spiritum fidei accensa, non respondeat, vitamque reddat conformem. Hæc utique est ipsa Christi sententia, quam similitudine ista declarare voluit! Atque illud ipsum est, quod ex Pauli ore contendimus; si lex per fidem stabilitur, & exinde renati non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant, nullius præcepti impletionem ipsis derogari posse.

Quod autem hæc veritas ex *definitione* Legis *simplici* & *subjectiua* tam facile illucescat, & contra ex *objectiua*, & *composita* præceptorum consideratione, plerumque sit incomprehensa, vel perceptu difficilior; id ipsum etiam augetur inde, quia mandata pleraque, præsertim sublimiora, per *interdictionem* ac *negationem* tradita sunt. At vero Lex, ut voluntatis æternæ effigies secundum originem est suam, non directe præ se fert *relationem* illam ad vetanda mala, sed ex se respicit *bonum* unice, quod sola charitate, e Spiritu Dei haurienda, metitur, creatis mentibus præscribendum: induit autem formam enunciandi potissimum *negatiuam* propter τὸ ἀδύνατον Rom. VIII, 3. qua indicatur, per *lapsum*, & contractum carnis dominatum, non potuisse Deum *lapsis*, *ut talibus*, præcipere charitatem, *in se spectatam*, quia ne percipere quidem amplius homines verum de charitate sensum, nedum ipsum *charitatis regnum* admittere, aut huic præstare obsequium poterant; sed incipiendum esse a *regno cupiditatis* destruendo. Rom. VIII, 7. Conf. *Augustin. de Doctrina Christ.* l. III. c. X. Verum enim vero erratur vehementer, si *Mosaicam* istam *Legis Figuram*, non de *stantibus* aliter, quam de pristina *lapsorum* conditione,

ne,

ne, ſumendam eſſe duxerimus. Hac, opinor, re diſcuſſa, nullum reſtabit obſtaculum, quod aditum ad veritatem præſentisſime introſpiciendam remoretur. Quapropter illico videndum, (1) quomodo præcepta, præſertim *negantia*, ad *irregenitos* pertineant; & (2) quomodo poſt *Conuerſionem* eadem non porro habenda ſint tanquam repagula, quibus deterreantur *regeniti* a partibus legis adimplendis. Ad *PRIMUM*, non abs re fuerit, in meditationis hujus ſubſidium vocare, quod *Lex ſubintraſſe* dicitur Rom. V, 20. Νόμος παρεισῆλθεν, lex *præter* (bonum, quod aderat) *introiit*. Quemadmodum enim ſola ſalutis cauſſa poſt lapſum diuinitus conſtituta eſt in *Euangelio*, ſeu promisſionibus de miſeratione Dei uſurpandis; atque interim *accidit*, ut præterea opus lege eſſet prohibitiua, qua *lapſus augeretur*, id eſt, ne, ſeria peccati agnitione poſthabita, impediretur fides: ſic ipſa Lex, ſi a lapſu, vel præterito, vel futuro, abſtrahas, in ſe ſpectata, in ſolidum verſatur circa bonum, nec ſpeciem illam, quæ in litteris de malo *negatiua* eſt, *per ſe* aſſumſit, verum *per accidens*, ut lapſuris vel lapſis prouideret. Et quidem iſthoc ſenſu confirmat Apoſtolus, *ſciendum hoc ipſum, quod Lex juſto non poſita*, κεῖται, *ſed legis contemtoribus, & iis, qui ſubjici nolunt, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis, ſcortatoribus &c. & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ oppoſitum eſt*, ἀντίκειται: *nec non ſciendnm, quod bona ſit ipſa lex*, (in natura ſua *originali*, atque ita etiam reperiatur *in littera*) *ſi quis ea utatur legitime*, νομίμως, ſecundum rationem natiuo modo ipſius propriam, h. e. ſi quis a *litteræ pædagogia* ad *Spiritus fidei ac charitatis exercitium* perductus fuerit. 1. Tim. I, 8, 9. Lex idcirco, quatenus in litterarum monumentis *poſita*, eſt *oppoſita* omni malo, tanquam doctrina ſana & ſalutaris, ad-

uer-

uersus insanas corruptorum hominum opiniones atque inclinationes adhibenda. Conf. Ps. XLIX. & CXLIV. Quibus peruersitatibus ut *opposita* est, ita & præmissis pollicitationibus Euangelicis *apposita subintrauit*, προσετέθη, ad transgressiones illas arguendas, ut iterum *Paulus* monet Gal. III, 19. addens, *usque quo veniſſet semen illud, cui facta est promissio.* Postquam etenim semen ipsum aduenit, CHRISTUS, de Lege interrogatus hic respondit non *negatiue*, sed *affirmatiue*, juxta primigeniam ejus indolem: *Diliges Deum tuum, diliges proximum tuum.* Matth. XXII, 37. 39. significaturus, id quod Johannes interpretatur c. I, 17. Legem illam, *per Mosen datam esse;* at se veniſſe, qui *ipsam gratiam, legis impletionem SVAM*, nobis *imputandam*, & *ipsam* charitatis *veritatem*, *legis impletionem* intra nos *instaurandam*, efficeret. Nam *littera occidit, spiritus autem viuificat.* 2. Cor. III, 6. At vero cur data est hæc littera, occidens? quia per eam *agnitio peccatorum.* Rom. III, 20. *Et NEGATIVE PROPOSITA SVNT PRAECEPTA*, inquit *Chemnitius* L. Th. *de nono & decimo præcepto: quia lex data est, ut non tolleret peccata, sed ut abundaret delictum.* Rom. V, 20. Quando enim prohibetur in omnibus *concupiscentia*, cujus superandæ potentiâ impius vel hypocrita adhuc destituitur; exsuperante peccato, Lex demum ad *pædagogiam* emergere potest, compellens ad Christum. Rom. VII, 13. 23, 24, 25. Gal. III, 24, 25. Quo utroque loco simul additur, quod ad *ALTERVM*, nobis jam ostendendum, spectat; apud *justificatos* non eundem, sed alium prorsus statum esse, ut *victores agant Deo gratias per Jesum Christum*, neque sub *pædagogo* sint amplius, sed *adoptionis testimonio* fruantur. Cur enim, ut iterum utamur interrogatione, *litteræ* legis *occidenti* opponitur *Spiritus*, & hic dicitur *viuificans?* An forte, si *renatus*, Spiritu

ritu Christi animatus ac munitus, audiat de fugienda idololatria, concupiscentia &c. vel etiam sentiat aliquid ejusmodi tentationum; ut is tum putet, se non amplius stare in omnibus præceptis, se vitam ex Deo circa hanc, illamue partem, non retinere? Absit! immo vero Spiritus fidelibus *viuificans* tribuitur, quod, quamdiu tales sunt, possideant illum, ipsamque tueantur *vitam* juxta omnia & singula præcepta, licet contrà *carne* afficiantur; secundum quam nimirum non ambulant, sed secundum *viuificantem dominum*, qui & in ipsis est manetque, non secundum aliquas, sed omnes legis partes. Ponamus, *datam legem fuisse, quæ viuificare posset.* Quid inde sequetur, nisi *vere ex lege justitiam esse*? Ita infert *Paulus* Gal. III, 21. pergens; *Sed concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* v. 22. Cæterum hanc *Spiritus Sancti promissionem* veri *Credentes* nacti sunt; quæ nihil aliud est, quam *Spiritus fidei*, Rom. III, 27. *Lex spiritus vitæ in Jesu Christo.* Rom. VIII, 2. 2. Cor. IV, 13. Quid hinc colligemus? An non vere jam ex hac lege justitia? omnino, quæ ex fide Jesu Christi ipsis tribuitur. Sed anne & vera ex Spiritu fidei existit justitia, quæ producatur in nobis? Omnino: nam fideles *PLENI sunt fructibus justitiæ, qui per Jesum Christum fiunt ad gloriam & laudem Dei.* Phil. I, 11. Ita proinde Moses per litteram *negatiuam*, occidendo illuminat; Christus contra per spiritum *positiuum*, viuificando illuminat. 2. Cor. III, 7, 8. &c. Eph. V, 14. ex Es. LX, 1. Conf. Luth. Comm. ad Gal. passim. Ne quid vero scrupuli relinquatur, quærimus & hoc; num ex fidei lege *justificatio* fluat tam per justitiam renatis inhærentem, quam per justitiam e Christo imputatam. Negamus autem id constanter: non, ac si Spiritus Christi haud integram, ad omnes legis

partes, obedientiam pariat; verum ideo, quod justitia inchoata non existit, nisi penes hominem jam tum *justificatum*, nec judicium diuinum adæquare potest *gradibus*, quibus perficiendis carnis reliquiæ semper obstant. Atque hinc discendi occasio suppeditatur, quo quidem pacto, post *Conuersionem*, regenitis Legis Mosaicæ usu adhuc opus sit: neque enim *Antinomorum* castra sectamur. Etsi namque ipsi, ad Deum vere conuersi, legis Spiritum secum ferunt, tamen caussa, ob quam littera legis data est, nondum cessat apud eos prorsus. Sublata sunt, fateor, peccata pristina; ast, ne caro apud hos recrudescat, non tantum ex spiritu corroborandi, sed subinde ex littera quoque nouis de insidiis ac periculis commonefaciendi erunt. Interea Fideles hunc legis stimulum multo aliter experiuntur, quam quibus Lex opposita ante *Conuersionem* est. Hi *sub lege* sunt ita, ut *Lex contra ipsos* sit, jus maledicendi & cogendi exercens: illi non *sub lege* sunt, quia aduersus id, contra quod lex est, etiam ipsi sunt, *carnem crucifigentes cum affectibus & concupiscentiis, spiritu & viuentes* intrinsecus, & extrinsecus quoque *incedentes*. Gal. V, 18. 23, 24, 25. Conf. Rom. VI, 14. Ecce! si contra regenitos lex non est, quæro, an ulla ejus pars, seu præceptum, non impletur ab iis? simulac enim haud impleretur ullum, lex contra ipsos esset, ipsique sub lege essent. Jac. II, 10. Quod interim afficiantur carne & lege moneantur, id ipsos non *extra* vel *contra* legem constituit, quales hæc inuenit labentes vel lapsos; sed *stantes* exsuscitantur modo in pace & custodia sua, possessione ac munimento, quo contra mandatum nullum excidunt, quamdiu tales permanent. Phil. IV, 7. *Sunt complentes legem Christi*. Gal. VI. 2. *nam Deus charis-*

charitas eſt : & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joh. IV, 16. Hanc legem Chriſti implentes, an Moſis præceptum aliquod haud impleant ? Immo vero hi dudum, lege Moſis (quod ad primum & proprium ipſius uſum, in augendo peccato conſiſtentem, attinet) ſuperiores ſunt, tanquam vetere illo *marito mortuo*, *in quo* ante Conuerſionem *detinebantur* ; nunc *ſeruientes Deo in nouitate ſpiritus, ac non in vetuſtate litteræ.* Rom. V, 20. VII, 6. Dixeris ; negatiuum illud tamen non implent : *Non concupiſces.* Quod ſupra probatum dedimus, urgemus firmiter. Hæc negatio minime *CONTRA ipſos* poſita eſt, qui dudum habent ex fide & charitate illud, ob cujus defectum accuſat alios, nondum ad Deum reductos. Qui autem cum Deo uniti denuo ſunt, annon repleti ſunt manentque (dum perſiſtunt in eo ſtatu) concupiſcentia bona & vera, *Spiritu concupiſcente* Deum atque omne bonum, & *concupiſcente contra ipſam carnem ?* Gal. V, 17. a qua utut afficiantur, tamen non deturbantur ex præſidio ſuo, quod tam in *primo* & *ultimo*, quam in reliquis omnibus præceptis retinent, implentes omnia eatenus. Quatenus vero carnis affectum inuiti etiamnum ſentiunt, non ſecluduntur eo a legis expletione vera, quam *inchoate* præſtant ipſo *actu* continuo & ſtatu ; ſed adiguntur ad agnoſcendam rationem adimplendi imperfectam, & *perficiendam ſanctificationem in timore Dei, purgantes ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus* 2. Cor. VII, 1. Sicut igitur Protoplaſti ante lapſum interdicto de arbore uti poterant, & tamen perſiſtere in perfectione ſua ; ſimiliter renati, qui aduerſus legem peccato afficiuntur quidem & læduntur, quoad tamen veritatis ſpiritum retinent, Legis parte excutiuntur nulla, ſed certo modo in ea omni perſtant. τὸ ἀδύνατον, quod potentiæ de-

erat ante fidem, ſublatum eſt *nomine Domine Jeſu*, viresque *ſanctificantes* ſubſtitutæ ſunt *per Spiritum Dei noſtri*, ut pars nulla ſit legis, quæ non inſtaurata in ipſis & ſtabilita ſit tam ſolide, ut *abluti illi, & ſanctificati & juſtificati*, nullo modo redigantur *ſub ullius rei poteſtatem*, verum *agglutinati Domino, unus cum eo Spiritus ſint.* 1. Cor. VI, 11, 12. 17. Quicquid igitur τῷ ἀδυνάτῳ ſuperfuerit, non poteſt ad Legis *partes* referri, quarum nulla eſt non repleta penes ſanctos virtute Spiritus Sancti: pertinebit ergo tantum ad *gradus*, tanquam ea incrementa ſeu partes, quæ *minus principales ſint*, hoc eſt, quarum aliquo defectu *perfectio totius integralis*, quæ in Spiritu fidei & charitatis integra eſt, non aboleatur. Et committitur hinc *fallacia* a dicto *ſimpliciter* ad dictum *ſecundum quid*, quando, quod *ſimpliciter* aduerſus impios dictum eſt in lege, *non concupiſces*, tanquam deſtitutos Spiritu tam ratione *partium*, quam *graduum*; *id* eodem ſenſu ad vere conuerſos rapitur, ac ſi & de his ipſa integritas partium negaretur, qui dudum fundati in Spiritu juxta omnem legis partem ſunt, nec *tales* deficiunt, niſi *ſecundum quid*, impedientes *gradum*, atque hoc reſpectu lege *negatiua* utuntur. Qua obſeruata ſequiore Legis *interpretatione* atque *applicatione*, ejusdemque vero apud regenitos uſu patefacto; ſimul cognoſcitur, *Euangelium* & *legem* haud confundi eo ipſo, quod docetur cum *Paulo* & *Libris Symbolicis*, ipſam legem & *inhæſiue* ſtabiliri per fidem, ipſumque verum Legis Spiritum eſſe illum, quem Euangelium affert, ſenſumque ejusdem *affirmatiuum* ipſam inferre charitatem, per quam fides ſeſe exſerit, atque illum natura priorem eſſe *negatiuo*, utpote qui ex illo pendet. Matth. XXII, 40. Quod ſi denique, ut euictum eſt, præceptio Legis Moſaicæ *negatiua*, propter lapſum modo arguen-

guendum, apud nondum vere conuerſos *proprium* ſuum uſum inuenit; deinde autem apud vere conuerſos & ſtantes, non *ante* impletionem legis *poſitiuam*, ſed *poſt* eam & fundatam & durantem, & quidem non niſi *indirecte* minas adhibet propter carnem, tanquam hoſtem deuictum, qui extra cordis propugnaculum vim recolligit; nec vero victor atque impletor legis Spiritus inuaditur, quin *omnia ignita aduerſarii jacula ſcuto fidei exſtingui poſſint* ab iis ipſis, *indutis thorace juſtitiæ, & habentibus lumbos veritate circumcinctos, calceatosque pedes præparatione Euangelii pacis*: Eph. VI, 14, 15, 16. etiam atque etiam videmus, *negatiuas* illas interdictiones perperam intelligi, ſi apud *ſtantes* contra *partium Decalogi impletionem* ſumantur, easque hanc potius ſuo relinquere loco firmatam in fidelibus, neque in ipſis, tanquam Chriſti Spiritu completis, quidquam accuſare, niſi *imperfectionem*, quam caro iis affricat, ſemper aliquid de *gradibus* vel detrahens vel impediens.

NOTA. Non alia eſt *Lex Chriſti*, & alia *Lex Moſis*; ſed utraque unius eiusdemque eſt *ſubſtantiæ*, lex moralis, æternæ & immutabilis juſtitiæ, ſeu præceptiuo ſeu prohibitiuo tradatur modo, ita ut unus altero etiam includatur. In Scripturis quidem aliquando diſcernitur ita lex, non *realis* differentiæ cauſſa, at *formali tamen* diſtinctione quadam, & ex eo fundamento, quod Lex, *Moſis* dicta, ſecundum primum & proprium ipſius finem atque uſum, reſpicit hominem irregenitum, redigendum ad *regnantis peccati lapſusque*, omnes humanas vires exſuperantis, vim cognoſcendam, ipſamque ad *pædagogiam*; atque hinc formam præceptionum *negatiuarum* præ ſe fert potiſſimum: quando autem dicitur *Chriſti Lex*, reſpicit hominem regenitum, in quo Spiritum charitatis, quem

Moſes *implicite* omnino, ſed remotius exigit, *explicite* ac proxime ex fide ſupponit ac requirit; propterea aque forma loquendi *affirmatiua*, ſeu *poſitiua*, uti ſolet. Utraque obedientiam omni ratione perfectam intendit, tametſi modo inſigniter diuerſo. Lex, Moſis dicta, id præſtat, *directe & formaliter* homines lapſos intuendo, & vetando maxime actus *intrinſece* malos omni tempore & ſub omnibus *circumſtantiis*; *indirecte* ſimul damnans eorum principium *habituale* connatum, & requirens habitum atque actus oppoſitos ſpirituales bonos. Eadem vero Lex, ut Chriſti in Nouo Teſtamento dicitur, idem vult, *directe & formaliter* homines renatos jubens cuſtodire *charitatem*, ſeu *veritatem*; Eph. IV, 20, 21. *indirecte* ſimul *habitum* atque actus oppoſitos quoscunque corripiens, ſed cum ἐπιεικείᾳ Euangelica. Vocatur autem Lex Chriſti *noua* Joh. XIII, 34. non ob noua præcepta, quæ Moſis lege non fuerint comprehenſa, ut *Sociniani* fruſtra opinantur; ſed ob nouam gratiæ *oeconomiam*, qua Chriſtus ipſum charitatis Spiritum afferebat, cum Moſes contra modo litteram aperuiſſet, Phariſæi autem plurimis commentis deprauaſſent eam; quibus etiam *poſterioribus* neceſſario antiquandis, vera & unica lex, tanquam renouanda in Spiritu & veritate, opponitur. Ita ſemper in hac cauſſa cogitandum illud Joh. I, 17. *Lex per Moſen data: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta.* Illuſtrationis uberioris ergo lubet apponere interpretationes duas, quæ poſt alias leguntur in GERHARD. Harmon. Euangel. cap. CLXXIV, 5. *Nouum vocat Chriſtus dilectionis mandatum, quia ad nouum hominem per Spiritum Sanctum renouatum pertinet, & non niſi nouo Spiritu a Chriſto accepto impletur. Hanc rationem itidem proponit Johannes: Mandatum nouum ſcribo vobis, quod verum eſt in ipſo & in vobis,*

quia

quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet. id est, sicut in Christo est vera ac sincera dilectio, ita quoque eadem in vobis vigeat; atque hactenus præceptum dilectionis est nouum, quatenus requirit cor per Spiritum Sanctum renouatum, ut Christum in dilectione imitari possimus. Veteres tenebræ ignorantiæ errorum ac impietatis transierunt, ac noua & vera lux per Spiritum Sanctum in cordibus vestris est accensa; ideo in vobis per Spiritum jam illuminatis & renouatis, nouum illud dilectionis mandatum verum est, ut est in Christo verum, id est, OPERE COMPLETUM. Mandatum Mosaicum seruabatur Spiritu timoris & seruitutis: Christi præceptum seruatur Spiritu amoris & libertatis; quam rationem hujus appellationis profert Lyranus in h. l. Huc referri potest, quod August. tract. 65. in Joh. disputat, præceptum dilectionis vocari nouum, quia nos renouat; id est, per dilectionem testamur, quod simus in Christo noua creatura, Gal. VI, 15. cum non nisi renouatus per Spiritum Sanctum nouum hoc mandatum implere possit. Cur nouum, inquit, a Domino appellatur, quod tam vetus esse conuincitur? an ideo est mandatum nouum, quia exuto vetere induit nos hominem nouum? innouat quippe audientem vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat &c. Dilectio ista nos innouat, ut simus homines noui, hæredes Testamenti noui, cantatores cantici noui. Hæc dilectio innouauit Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ipsa & nunc innouat gentes, & ex uniuerso genere humano colligit populum nouum, corpus nouæ nuptæ Filii Dei unigeniti sponsæ 6. Nouum vocatur dilectionis mandatum, quia nouo modo a Christo est promulgatum. Et Moses & Christus idem dilectionis mandatum proponunt, sed non eodem modo. Moses rigidissime perfectam & omnibus numeris absolutam charitatem requirit, quæ exactissime cum norma legis diuinæ congruat; proinde etiam accusat & damnat omnes, quotquot non præstant perfectissimam illam obedientiam. Christus vero per ἐπιείκειαν Euangelicam rigorem illum

lum mitigat, INCHOATAM & PERFECTAM credentium charitatem, modo sit seria & ἀνυπόκριτος, paterne acceptat, adhærentem imperfectionem & immunditiem merito suo tegit. &c. Moses tantum præcipit charitatem, sed non subministrat vires, ut præceptum illud implere possimus. Christus vero per Spiritum Sanctum largitur vires præstandi quod jubetur. 2. Cor. III, 7. Gal. III, 2. Mosaica lex circumdata & inuoluta erat variis ceremoniis, Christus autem legem dilectionis ab illis quasi repurgat, sicque mitigat graue legis jugum, quod innumera ferme præcepta continebat, quæ omnia ad unum dilectionis præceptum reuocat. Thomas in h. l. Omnis charitas est noui Testamenti, quemadmodum & gratia; quoniam Christus, qui noui Testamenti est auctor, charitatem & gratiam meritus est hominibus utriusque Testamenti. Merito ergo potest mandatum amoris dici nouum, siquidem charitatis est, quæ ad Nou. Test. pertinet. Quamuis ergo Mosaica lex itidem ad dilectionem homines urgeret, tamen quia multis appendicibus, ceremoniis & constitutionibus erat quasi implicita, & quodammodo obruta; ideo charitatis doctrina non tam clare ibi effulsit & eminuit, sublatis vero in Nou. Test. illis appendicibus & umbris, ejus lux clarius apparere coepit. Breuioribus integram mentem eorum, quæ notare hic voluimus, sistit AEGID. HUNNIUS in *Exposit. Epist.* ad Rom. c. XIII. p. 456, 7. *Expletur lex Dei a Christianis, non in ea exquisita perfectione, qua initio per Moysen lata est; sed prout Christus in Nouo Testamento præceptum charitatis renouauit, idque respectu eorum, qui jamjam justificati sunt, sic attemperauit, ut Deus propter Christum inchoatam ipsorum nouam obedientiam non velit secundum rigorem justitiæ suæ examinare, nec damnare renatos, si maxime non assequantur exquisitissimam illam perfectionem legis diuinæ. Atque hoc discrimine præceptum charitatis a Johanne vetus & nouum dicitur. Vetus quidem, quemadmodum in Veteri Testamento*

to per Mosen latum est. NOVUM autem eo modo, quo a Christo in nouo Testamento (sublato illo intolerabili jugo, rigore & damnatione legis) renouatum est. Sicut inquit Joh. XIII, 34. Præceptum nouum do vobis, ut diligatis inuicem. Ergo MOSIS LEX impleri a nobis non potest: LEX CHRISTI autem, quam de charitate colenda nobis præscripsit, POTEST ab hominibus renatis IMPLERI. Quemadmodum scriptum est Gal. VI. inuicem alii aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Et rursum, 1. Joh. V. In hoc cognoscimus, quod diligamus filios Dei, cum Deum diligimus, & præcepta ejus seruamus. Hæc enim est charitas Dei, ut præcepta ejus seruemus; & præcepta ejus grauia non sunt. Idem in Quæstionibus & Responsionibus de justificatione p. 203. *PRÆCEPTUM CHRISTI de dilectione NUMERO IDEM est cum MOSIS PRÆCEPTO; differt autem ab illo, quatenus Moses rigidissime exigit absolutam dilectionem. Christus autem illud præceptum de diligendo proximo sic mitigat, ut inchoato obsequio sit contentus, dummodo a SERIO STUDIO ANIMORUM promanet. Et hac ratione præceptum dilectionis jam Christi præceptum, Christique Lex dicitur: cujus PRÆCEPTA VERE GRAVIA NON SUNT, quandoquidem id, quod in lege erat intolerabile jugum, abstulit ipse a nobis, & in suos humeros transtulit; exigens quidem a Christianis charitatem mutuam, sed ita, ut perfectionem absolutam illam per Mosen requisitam non flagitet. Ceterum eo minus grauia sunt ejus præcepta, quod SPIRITVM SVVM SUBMINISTRAT, AC VIRES LARGITUR AD OBEDIENDVM SVIS MANDATIS. Quæ ἐπιείκεια, seu mitigatio requisiti obsequii, locum quidem habet extra forum justificationis apud homines jam reconciliatos & justificatos; nequaquam vero in ipsa justificatione, ubi Deo pro peccatis æquivalente λύτρῳ absolutissimo satisfaciendum est, cui rei omnium Sanctorum obedientia & dilectio par esse nequit.*

§. IV. Propositionis demonstrandæ fundamenta posuimus duo: primum, in ipsa legis natura situm, quate-

nus per Fidem ſtabilitur ipſa vere & *totaliter;* alterum, petitum ex indole uſus legis apud renatos, qui in his nullam ejus partem ſublaram eſſe arguat, licet hanc illamue urgeat inſtaurandam, magisque excolendam. Firmamus utrumque adhuc aliis Scripturæ teſtimoniis, ut veritas diuina omnem rationis hæſitationem ſuperet. Non ſimulatum, ſed omnino ſerium Chriſti verbum eſſe Matth. XIX, 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* teſtatur *Apol. Aug. Conf.* p. 83. & 115. Optime hanc Apologiæ interpretationem defendit Wolffg. FRANZIUS de *interpret. Sac. Script.* p. 551, 2. *Nequaquam*, inquit, *Chriſti mens fuit, quaſi quærenti, quid faciam? omiſſa Euangelica fide, reſpondere voluerit de FACERE, & ita tantum FACIENDA & SERVANDA monſtrare, & hoc ipſo ſimul impoſſibilitatem operum allegare Chriſtus. Serio & ſancte hæc admonuit Chriſtus, non ſimulate, non ambigue, aut perplexe reſpondit, ſed talem dedit reſponſionem, quæ & in ſeſe eſt veriſſima, & quam omnes concionatores hodie ſuis inculcare debent auditoribus, quod SERVANDA ET FACIENDA SINT MANDATA, SI VOLUNT AD VITAM INGREDI, UT HOC PACTO DISTINGUANTUR VERE CREDENTES A NON VERE CREDENTIBUS. Vere credentes ſciunt, ſe juſtificari ſola fide; ſed tamen norunt ſimul, juſtificatos fide non debere viuere ſuis arbitriis juxta ſuum beneplacitum, in impuritatibus. Hoc enim pacto teſtificantur, ſe veram intus habere fidem, quia fides per charitatem eſt efficax.* Gal. V, 16. *Fidem habebat hic adoleſcens, alias a Chriſto nihil ſerio amplius edoceri petiiſſet. Prorſus ſimilis eſt ratio* Luc. III, 7. *ubi omnis turba baptizatur, ſed poſt baptismum ſuſceptum veniunt ordine, & quærunt ibidem a Johanne 1. turba, 2. publicani, 3. milites, quid jam poſt baptismum facere debeant; quibus ſingulis ſua bona opera præſcribit, non ad juſtificationem conducentia, ſed juſtificatorum ſigna externa infallibi-*

lia

lia, ne quis dicat, se credere, & tamen pessime viuat. QUO UNO NOMINE MALE AUDIUNT NOSTRAE ECCLESIAE APUD AMICOS ET INIMICOS EXTRA ET INTRA GERMANIAM. Unum igitur & eundem finem propositum sibi habent (1) *admonitio Christi ista,* (2) *admonitio Johannis jam dicta. Congruit cum iisdem Jacobus Apostolus cap. II.* CARPZOVIUS Isag. in Aug. Conf. & Apol. p. 285. hæret quidem in sensu nescio quomodo post Reformationem Euangelicam ab aliquibus mutato, ac si audacia humana, iis confundenda, accusaretur: non potest tamen non fateri, explicationem *Melanchthonis*, seu *Apologiæ*, esse *orthodoxam*; quod nobis hoc in loco sufficit. Itaque docet *orthodoxa* Ecclesiæ nostræ doctrina, non quidem sine Christo, sed hoc vere agnito ac recepto, mandata Dei seruari, fierique legem posse; ut laudata *Apologia* toties totiesque clamat. An vero non alienum ab ea sententia fuerit, de præceptis Dei, ad seruandum propositis, statuere, primum vel ultimum excludi? Ipsa *Apologia* p. 83. 84. ubi sententias confirmat de lege facienda, magno studio vitandum monet, ne legem accipiamus de *ceremoniis*, vel externis tantum operibus; eamque maxime exponit de *motibus cordis* & *affectibus*, tanquam iis, *quæ sunt propriæ legis diuinæ*, pertinentque ad mandatum primum atque ultimum.

Idcirco obseruamus porro, *TOTIUS Legis impletionem* dici charitatem. Malumus hic AEGID. HUNNII commentatione, quam nostra uti, in cap. XIII. Ep. ad Rom. *Qui diligit alterum, legem expleuit; non quidem in ea perfectione, qua lata est lex, sed pro hujus vitæ modulo: ubi Deus propter obedientiam filii sui, nostram quoque licet inchoatam, seriam tamen, & a filiis profectam obedientiam, paterno fauore acceptat, tegens defectum & imperfectionem obsequiorum nostrorum me-*

rito perfectissimæ obedientiæ Chrtsti. Cum autem dilectione legem expleri dicat, dilucidius nunc explanat per enarrationem præceptorum secundæ tabulæ; quorum SINGULA ad hunc scopum & finem directa sunt, ut proximus diligatur. Siquidem illa: non moechabere: non occides: non furaberis: non falsum testimonium dices: NON CONCUPISCES: summatim in hoc capite tanquam compendio, continentur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Quemadmodum ipse Christus Matth. XXII. totum Decalogum in hæc duo capita redegit; primæ quidem tabulæ præcepta sub hoc comprehendens mandato summo: diliges DEUM tuum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus: secundam vero tabulam sub altero præcepto, quod primo illi magno mandato simile sit, complexus est; nempe: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Qui ergo vera charitate præditus est, is proximo non operatur malum; id est, is non occidit proximum, non violat ipsius thorum, non bona ejus per furtum aut rapinas inuolat, non falso testimonio illum grauat, non res ipsius concupiscit, sed eas potius augeri proximo suo cupit; & ut summatim cum Apostolo concludam: Consummatio legis est dilectio, eo nimirum sensu, qui paulo ante est expositus. Ecce! manifestissimum ac luce omni clarius, partem Decalogi postremam non eximi ab ea legis impletione, quæ charitati, per quam fides se exserit, tribuitur. Quapropter & illius, *NON CONCUPISCES*, impletio est charitas. Quo spectat, quod HOPFNERUS de Justificat. Disp. VII. aphor. 4. affirmet, *hanc sinceram & seriam caritatem suam, qua quis ita diligit Deum, ut luctans cum amore creaturarum, non patiatur ab eo se vinci & subigi, cuilibet renatorum infallibiliter cognitam esse posse.* Atque id ipsum toto cap. VIII. ad Rom. docetur, quando Apostolus demonstrat, veros fideles *non esse carnis debitores.* v. 12. Hanc enim conclusionem infert ex certis rationibus; quoniam

Spiri-

Spiritus Dei in ipſis habitet, qui & *legi ſubjiciatur*, ſenſuque illo, quem efficiat, & *pacem & vitam* præſtet, ita *mortificans actiones corporis* contrarias, ut ipſum *adoptionis* teſtimonium perſiſtat. v. 6, 7. 9, 10. 13, 14. 16. Cum autem idem charitatis Spiritus, qui legis impletio exiſtit, in renatis, qui concupiſcentia tentantur quidem, ſed non vincuntur, factam a Deo *manſionem* (Joh. XIV, 23.) tueatur ac retineat; ecquis non videt repugnantiam in eo, ſi quis nihilominus aſſerere auſit, partem legis ultimam, de non concupiſcendo, non impleri! Fieri ſane quolibet tentationis prauæ affectu, ut *gradus*, a lege requiſitus, in hac vita non obtineatur, extra diſputationem eſt: partem vero legis ſeu charitatis illam, quæ vel primo vel poſtremo conſtat præcepto, durante charitatis Spiritu & vincente, amitti aut ceſſare, tanquam non ſeruatam; non minus repugnat, quam ſincerum diem propter nubeculas quasdam noctem eſſe, vel, viuentem hominem, propter valetudinis incommoda, quæ tamen curentur, nihilominus ſtatuere mortuum. Neque aliud ſibi vult *Paulus* Gal. V, 14. &c. aſſeuerans, *univerſam legem* una dilectionis mentione compleri; addensque licet in contrarium caro concupiſcat, tamen, ſi non perficiatur ejus cupiditas, ſed homo aduerſus eam *incedat Spiritu*, atque hoc ipſo *ducatur*, propterea ipſum non *ſub lege eſſe*, v. 18. *nec legem eſſe contra eum*, ſeu contra *Spiritus fructus*, quibus conſtanter is operam dat. Nam Spiritus fidei, & charitatis, & legis, eſt unus Spiritus, immo *unus cum Deo Spiritus*. 1. Cor. VI, 17. quo, *qui Chriſti ſunt*, *crucifigunt carnem cum affectibus & concupiſcentiis* (conf. Rom. VIII, 13.) atque ita victoriam partam cuſtodientes, eodem *Spiritu viuunt*, eodem *Spiritu incedunt*, nec eodem ipſo legem implere deſiſtunt, ibid. v. 24, 25. quam diu *tales* permanent, de quibus ſermo eſt.

Prætermittimus alia complura loca, quæ huc referri possunt, atque unum modo vexatum illum, quo dicta continentur, respicimus Jacob. I, 4. *Patientia opus perfectum habeto, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Hic perfectionem partium, ut *necessariam* & *possibilem* expresse præcipi, nulli dubitamus. In promtu est locus *parallelus* 1. Cor. I, 5, 6, 7. *In omni estis ditati in ipso; in omni sermone, & omni cognitione; prout testimonium Christi confirmatum fuit in vobis: adeo, ut in nullo charismate vos deficiatis.* Ex aperta *universalitatis*, affirmantis & negantis, oppositione intelligimus, de credendis atque agendis, ad salutis viam pertinentibus, negari, quod desit eorum aliquid *Corinthiis*, expertis Christi efficaciam. Eadem vero verba eundem sensum habent Iac. I, 14. Sic enim docet, varias tentationes inseruire probandæ fidei, luctationi & patientiæ, cujus opus manere integrum debeat ita, ut parte *nulla* destituatur. De partibus *credendorum agendorumque* id dici, non tantum ex *parallelismo* allato liquet, verum etiam ex *Synonymia* præmissa. Namque *in nullo deficientes*, vocantur eo significatu τέλειοι, perfecti, quod ὁλόκληροι sint: hujus autem vocabuli mens optime ostenditur Act. III, 16. ubi ὁλοκληρία est integritas membrorum, claudo restituta. Quemadmodum proinde in *corpore* ὁλόκληρος ille est, qui nec membris, nec membrorum quorundam usu priuatus existit: sic etiam *in Spiritu* capiendi ὁλόκληροι, qui nihil, quod mandatum est, hoc est, nullam charitatis seu legis partem, desiderari in se patiuntur. Quam enim *sortem* indepti sunt Christo addicti, habent sane *totam* illam in *spiritu*, quo ipso Dominus suos induit. 1. Joh. III, 24. IV, 13. Spiritus hic, fide ac charitate pollens, facile quidem in *varia* defectuum pericula incidit, præsertim ob car-

carnem contraria concupiſcentem; atque ita & *ſapientiæ* & reliquorum adminiculorum indiget, ſemper inſtaurandorum: Jac. I, 5. ipſi tamen ſtantes eatenus *perfecti* atque integri eſſe & debent & poſſunt, *Jacobo* teſtante, ut *in nullo* officiorum genere prorſus *deficientes*, cupiditatibus repreſſis, Spiritum legis intra ſe ab earum dominatu integrum conſeruent. Conf. 1. Theſſ. V, 23. Rem omnem *Auguſtinus* ſic neruoſe comprehendit: *Interroga cor tuum, vide, utrum habeat charitatem. Si eſt ibi charitas, eſt ibi PLENITVDO LEGIS; jam in te habitat Deus, ſedes Dei factus es.* Tom. 8. Pſ. 91.

PROPOSITIONIS II. DEMONSTRATIO.

I.

REſtat; an, ſi ulla fuerit legis pars, quæ ab iis, qui Chriſtum ſequuntur, præſtari nequeat, gratia, nihilominus vera in iis ſtatui poſſit? Nullum quidem eſſe Decalogi præceptum, quod non ſeruetur a durantibus renatis, hactenus diligenter explanauimus: hæc autem veritas, quod tantæ ſit neceſſitatis, ut, ubi aliquid demi aut imminui per contrariam hypotheſin videatur, nihil relinquatur de gratiæ, charitatis, fidei ac ſalutis habitu, qui in fidelibus neceſſario ineſt, ipsaque ita ordinis Euangelici ſeries in periculum incurrat; ut maximum in eo cauſſæ momentum cernitur, ſic illud, ne dubium in opinione maneat, ante oculos dilucide adhuc proponendum eſt. Nec ſane dubitationem hujusmodi poterit fouere, qui ex ſuperioribus ſatis intellexerit, legem impleri uno legis, h. e. fidei ac charitatis Spiritu; qui cum dirimi diſtrahique non poſſit, licet circa diuerſas res verſetur, non unum, vel aliquot modo præcepta *moralia*, ſed omnia æque complet, tanquam

quam individuus ipſe atque indiſſolubilis, deſtinatus uniuerſis legis partibus, nulli ſoli proprius, neque ab ulla ſecludendus, ſed non minus communis ſemper ſingulis, quam totus in ſingulis. Unde planum fecimus dudum, ſi v.c. ultimum ex præceptis ab aliquo non impleatur, fieri non poſſe, quin penitus ſublata in homine illo gratia ſit, vel nondum adfuerit completa ulla.

§. II. Hinc Jacobus cap. II, 10. tam abſolute pronunciat: *Quisquis totam legem ſeruauerit, offenderit autem in uno, omnium reus tenetur.* *Auguſtinus* ſuper his ad *Hieronymum* epiſt. 29. *Quæſo & per Deum obſecro, ut exponas mihi, quod multis ſpero profuturum, quomodo accipiendum, quod in epiſtola Jacobi ſcriptum eſt: quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in uno, omnium reus eſt.* Ipſe autem mox verba Apoſtolica ex *antecedentibus* declarans, confirmationem ſubjicit de *inſeparabilitate virtutum*, nota etiam ex *Philoſophorum* auctoritatibus, quibus omnibus placuerit, eum, *qui unam virtutem habet, omnes habere, & qui unam non habet, nullam habere.* At enim verum hujus nexus fundamentum, quod illi ignorabant, ſcite obſeruat, conſiſtere in *charitatis* ſancta indole, quæ ſi, ut *finis præcepti, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta*, extiterit, 1. Tim. I, 5. una vera & magna ſit virtus, merito dicta *fortis*, *ſicut mors*, Cant. VIII, 6. quia, *SICUT MORS ANIMAM AVELLIT A SENSIBUS CARNIS, SIC CHARITAS A SENSIBUS CARNALIBUS.* Quæ ſententia plane diuina exhaurit omne illud, quod quæritur in hoc negotio. Ponamus finem præcepti iſtum, *amorem Dei effuſum eſſe in corde ALICUJUS*, Rom. V, 5. certe a ſenſibus carnalibus defendet ac purgabit animam; nec præceptum quoddam erit, quod non fideliter obſeruetur hoc modo, variis licet tentationibus cor afficiatur. Contra ponamus,

ab

ab eodem homine præceptum de *non concupiſcendo* rurſum violari, ipſumque affectibus prauis cedere & ſuccumbere; cur hic reus tenebitur mandatorum omnium, niſi quod charitatis Spiritum perdiderit, magiſtrum omnium atque effectorem? Cur item Chriſtus Dominus dicit, Matth. V, 19. *Quisquis ſoluerit unum ex mandatis hisce minimis, & iſta docuerit homines, minimus vocabitur in regno coelorum*? Habebantur nimirum pro minimis, quæ ad cupiditatem frenandam pertinerent; quorum ſi unum ſoluebatur, quaſi vel non deberet, vel non poſſet impleri, impedita erat omnis gratia & ſalus, utpote quæ ſub dominante carne impetrari haud poterat. Quemadmodum ergo, ſi quis ita doceret homines, interclusa poenitentia ac fide, interiit *omnis oeconomia Euangelii*; ſimiliter, hodienum eadem jactura metuenda fuerit, ſi pars legis ulla perfici negetur poſſe. Idem eſt, quod Johannes coarguit Epiſt. 1. c. III, 17. *Qui habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo*? Quomodo quis, inquam, clauſerit viſcera ſua coram altero, niſi concupiſcens retinere, quod alteri attribuit charitas, piumque hunc affectum reprimens ac ſupprimens? Nec vero Apoſtolus inde infert modo, quod proximum erat: quomodo *charitas alterius* manet in eo? ſed, cupiditate victoriam recuperante, priuationem charitatis manare longius, ipſamque primam tabulam ſimul, omnemque gratiam euertere, oſtendit, interrogans: *quomodo charitas Dei manet in eo?*

§. III. Præclara quædam affert HULSEMANNUS Diſp. XVI. *Man. de libero arbitrio*, quæ anſam hujus rei illuſtran-

dæ ſuppeditant. *Præceptorum negatiuorum ſumma eſt, non concupiſces, Rom. VII, 7. Quis irregenitus, ſolis naturæ viribus, carentiam ineſſe debitam ab hoc malo præſtare poteſt? Certe illi omnes ſequuntur deſideria & cogitationes carnis ſuæ, non per habitum acquiſitum, ſed* Φύσει, *per naturam, ut Apoſtolus ait Eph. II, 3. & ſoli illi, qui Chriſtum induunt, crucifigunt concupiſcentias, Gal. V, 24. Quem igitur actum, cui inſit forma, ex lege diuina ineſſe debita irregeniti edent? Nec enim ſubſtantia actus illa dicenda eſt, quæ materialia cum vero actu communia habet; ſed, quæ ſit vera actus ſubſtantia, ex regula agendorum, lege Dei ſcripta, æſtimandum eſt, uti aliquoties Chriſtiani juſſi ſunt. Deut. XII, 26. Ezech. XX, 19. Gal. VI, 16.* Quibus rectisſime docetur (1) *in ſubſtantia actuum* dijudicanda ſpectandam eſſe *formam*, quæ ex lege diuina ineſſe ipſis debeat: (2) hæc ſi adſit, videlicet charitatis Spiritus, præſtari *carentiam*, a concupiſcendi malo, *ineſſe debitam*: (3) hanc ipſam illos, qui Chriſto induti, *crucifigant concupiſcentias*, præſtare. Itaque intelliguntur ex iis luculentisſime duo illa, quæ conſtituimus: primum, habentibus ex fide ipſam legis formam ſeu indolem, expultricem illam vitiorum, non deeſſe operum legis ullorum *ſubſtantiam;* atque alterum, priori conſequens, ubi una legis pars impleri nequeat, formam penitus abeſſe, neque ullos actus conſentaneos edi. nam ſi adeſſet ipſa, nullam partem non tueretur, *concupiſcentias crucifigens.* Ex quo fluit pariter, ſolicite videndum eſſe, an non illa docendi ratio, quæ fingat, non inſtruere Fidem *fideles* viribus idoneis ad faciendum præceptum primum & ultimum, aut his eos non valere eatenus; in opinione tam noxia verſetur, ut exinde homines omni feria cogitatione de iis obſeruandis facile priuentur, gratiæque omni veritate.

NOTA.

NOTA. Ne videatur Auguſtinus, vel nos cum eo, ſuperiori §. II. & in tractatione ſecutura ſæpius, dictum Pauli Rom. V, 5. quod Theologi Euangelici de charitate Dei erga nos merito accipiunt, de charitate noſtra potius interpretari; animaduertimus, reſpicere ſemper Auguſtinum charitatem, prout fas eſt resque poſtulat, non præciſe ut actum in nobis, ſed per modum habitus & doni collati, ut diffuſam in corde per Spiritum Sanctum. Unde conſiſtit utrumque; & intelligi charitatem Dei erga nos, & eandem, quatenus ejus efficacia ſpirituali guſtu diffuſa in cordibus ſpectatur, eſſe ipſam in nobis ſcaturiginem, ſeu flammam, charitatis noſtræ erga Deum atque homines. Pari ſenſu illud 1. Joh. II, 5. de *charitate Dei perfecta*, *paſſiue* potius, quam *actiue*, capiendum eſt.

THESEOS CONFIRMATIO.

I.

DEmonſtratis duobus firmamentis, ut *Theſin* plane confirmemus; *Stantium* hæc natura propria ex generatione eſt, ut *lumbis circumcincti conſiſtant in veritate*, Eph. VI, 14. juxta uniuerſas diuinæ voluntatis partes peragenda; qua diſſoluta, ſiue in agendo ſiue in docendo, ipſa Euangelii veritas utrobique diſſipatur. Atqne ut rem iſthanc ab origine indagemus funditus, implendæ legis ratio non fuit alia ante lapſum, quam quæ poſt lapſum reſtituta nobis a Chriſto eſt, ſi effectionis *ſubſtantia*, quam dicunt, ſpectetur: hæc enim conſiſtit in fidei ac charitatis ſpiritu, cujus promiſſum ex Euangelio denuo accipitur. Gal. III, 14. Difficultates, quæ ante & poſt *accidunt*, rem nequaquam mutant. Carnis repugnantia & imbecillitas nulla ante lapſum erat; qua libertate fiebat tum, ut non *partibus*

bus modo, ſed etiam *gradibus* integris conſtaret ipſa perfectio: poſt *lapſum* ſine contentione inter ſpiritum & carnem victoria nec obtinetur, nec retinetur; interim ſpiritu vincente, libertas recipitur vera, & dominans ille fidei ac charitatis ſpiritus ipſa eſt *forma*, quam Lex requirit. Ea autem forma quod perpetuo certamine eſt cuſtodienda, conditio quidem hæc juſtam *graduum perfectionem* impedit, *partium* vero ipſarum, quæ ſuperſtite fidei & charitatis præſidio nequeunt ceſſare, integritatem nullo modo. An non illud ipſum eſt, quod Johannes 1. Ep. c. III, 9. aſſeuerat; *quicunque ex Deo natus ſit, eum non poſſe peccare, quoad ſemen Dei in ipſo manſerit?* Semen ergo Dei, ſeu gratia Spiritus Sancti, habitans in fidelibus, ſi efficit, ut non (*mortaliter*) peccent, aut peccare poſſint, licet contra cupiditates ſit iis laborandum; quodnam, quæſo, præceptum excipiemus, aduerſus quod peccent, vel peccare, vel ſemen illud non aſſeruare queant?

Et vero *imperfectio* illa *partium*, ne ſtantibus renatis affingatur, adeo prorſus aliena cenſetur ab Euangelio, ut hoc e contrario iis, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulantes fideliter luctentur, etiam *menſuræ ſpiritualis* acceſſionem, quo minus *incorrupti ſeminis* victoria videri poſſit mutila, tanquam propriam aſſignet. *OMNIA valeo per Chriſtum, qui me corroborat!* Phil. IV, 13. Apoſtolus, in acerrima aduerſus carnem pugna conſtitutus, exclamat: nec negant Theologi noſtrates, dictum id recte exponi de perfectione partium. Conf. FRIEDLIB. Med. p. 184. Et Chriſtus clariſſime promittit, quod diximus, Matth. XIII, 12. *Quisquis habet* (ἔχει, ita, ut teneat 1. Tim. I, 19. Hebr. XII, 28.) *dabitur ei, & REDUNDABIT.* Optime in *Breuiario Hülſ.* p. 704. ea re adducuntur promiſſa

missa illa maxima & pretiosa, fore, ut *fugientes eam, quæ in mundo est, concupiscentiarum corruptionem*, (num forte, ut partem aliquam legis amittant? minime, sed) *naturæ diuinæ consortes facti*, virtutes sibi *copiose adesse* sentiant, & *ampliorem introitum sibi patere in æternum regnum Domini nostri & Seruatoris Jesu Christi.* 2. Petr. I, 4. &c. item illa Eph. IV, 15: *Veritatem facere debemus in charitate, ut CRESCAMUS PER OMNIA IN CHRISTO.* (Conf. Coloss. III, 19. 1. Petr. II, 2.) *Ex quo totum corpus compactum & connexum &c.* augmentum *corporis facit, ad ædificationem sui ipsius in charitate.* *Sicut autem*, addit Auctor, *augmentum corporis nostri physici sentire possumus, ita renouatus sentit augmentum corporis mystici, respectu sui ipsius, ex studio bonorum operum.* Quo merito referimus, quæ de promissionum Euangelicarum usu leguntur 2. Cor. VII, 1. quod iis adducti, qui tantopere a Deo diligantur, *purgent se ab OMNI inquinamento carnis ac spiritus, eo ipso PERFICIENTES sanctimoniam in timore Dei*; hoc est, nihil de perfectione sua deperdant, verum illis ad majorem potius sanctitatis gradum prouehantur. Ita crescere pietatis opus ex ardore ad subigendum omne malum, edocemur diuinitus: quo certius atque exploratius sit, necesse est, ipsam victoriæ fidei constantiam perfectam in suis partibus consistere, neque ullis superatis prauitatibus mutilari. Quia etenim ab iis, qui in fide perseuerant, *prima fiducia & gloriatio spei, ipsumque initium substantiæ spiritualis* (ἡ ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως) *firmum retineri* Hebr. III, 6. 14. debet ac potest; non potest ab iisdem, quam diu fideles vere sunt, ulla pars, quæ firmitatem illam constituerit, abesse; at, quicquid circa eam desiderabitur, ad *graduum imperfectionem* pertinebit: contra quam non æque valere argumenta hactenus allata, Scriptura haud ce-

lat, profectum in partium omnium incrementis, non vero in graduum absolutione ponens.

§. II. Mirificus hac in re disputator *Augustinus* est, qui ex utraque parte nihil cedit *Pelagianis*, tam apertus in perfectione *integrali* stabilienda, quam in *absoluta* neganda strenuus. Nesciebant, quid vellent *Aduersarii*, Legem expleturi per *gratiam creatricem* seu *naturalem*; nec *supernaturalem*, si hanc illi sociarent, aliam interpretantes, quam *quæ faceret, ut sciremus, non item, quæ juuaret, ut faceremus*. Hist. Pelag. Voss. Lib. V. part. 1. p. 489. Quas scopas dissolutas repudians atque confringens Pater, considerabat in Scriptura Sacra sententias Apostolicas; nec eas tantum, quæ, sine peccato esse neminem, docent, sed contra etiam illas, quæ, *quomodo* & *quatenus* gratia vera peccatum vincere possit ac debeat, inculcant. Animaduertebat, *has* partim negare, quod præcepta Dei sint difficilia; partim affirmare, quod detur aliqua perfectio, & certus quidam perfectionis fons atque affectus, qui omnino in fidelibus regnet. Atque sic perducebatur ad cognitionem admirandam, ut in veritatis æquabilitate persisteret utrinque. Suspicantibus itaque *Pelagianis*, ipsum delapsurum esse in alterum extremum, quod dicitur, omnemque perfectionem negaturum; ille nihil faciebat minus, sed ipsos potius unicum & solidum legis adimplendæ fundamentum fugere, arguebat.

Et primo quidem, veritatis ejus, quod mandata sint facilia, non incidit neruos; immo expromit eos, atque explicat. Apponamus integram *Augustini* mentem, quam ad docendum præscribit. *De natur. & grat.* sub finem. *Si volumus animos, ad recte viuendum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare & accendere, primitus exhortemur*

ad

ad fidem, qua Christiani fiant, & ejus nomini subjiciantur, sine quo salui esse non possunt. Si autem jam Christiani sunt, & recte viuere negligunt, verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur; ita sane, ut non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ: ut & illi gratias agant, cum instituerint bene viuere, quod aliquid sine difficultate fecerint; & ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerantissimis precibus, & misericordiæ promtis operibus, facilitatem a Domino impetrare persistant. Sic autem proficientes, ubi & quando PLENISSIMA JUSTITIA PERFICIANTUR, non nimis curo. Ubicunque autem & quandocunque PERFECTI fuerint, non nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum perfici posse, confirmo. Sane, quando liquide cognouerint, nullum peccatum se habere; non se dicant non habere peccatum: ne veritas in eis non sit, sicut in eis veritas non est, qui, cum habeant, non habere se dicunt. Valde autem bona sunt præcepta, si legitime his utamur. Eo quippe ipso, quo firmissime creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia CHARITATI, cui uni Christi sarcina leuis est, aut EA VNA EST SARCINA IPSA, QVAE LEVIS EST. Secundum hoc dictum est, ET PRAECEPTA EJVS GRAVIA NON SVNT, ut, cui grauia sunt, consideret, non potuisse diuinitus dici, grauia non sunt, nisi, quia POTEST ESSE CORDIS AFFECTVS, cui grauia non sunt; & petat, quo destituitur, ut impleat, quod jubetur. Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio, si pie, si sancte, si spiritualiter intelligatur, hoc idem significat: quia utique, cum hoc testimonium commemorasset Apostolus; Prope est verbum tuum in ore tuo & in corde tuo: quidam hic habet, in manibus tuis; in corde enim sunt spirituales manus. (Septuaginta : ἐγ-

ἐγγύς σϰ ἐϛὶ τὸ ῥῆμα σΦόδρα ἐν τῷ ϛόματί σϰ, ϰὴ ἐν τῇ ϰαρδίᾳ σϰ ϰὴ ἐν ταῖς χερσί σϰ ποιεῖν ἀυτό.) *hoc est, inquit, verbum fidei, quod prædicamus. Conuersus ergo quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue. Quomodo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est: aut diligit, & graue esse non potest. Diligit autem, si, quod illic admonetur Israel, conuersus fuerit ad Dominum DEVM suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Et qui diligit proximum, legem impleuit: & PLENITVDO LEGIS, CHARITAS. Secundum hoc & illud dictum est: si ambularent semitas bonas, inuenissent utique semitas justitiæ leues. Quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras? nisi, quia utrumque verum est: duræ sunt timori, leues amori. CHARITAS ergo INCHOATA, INCHOATA JUSTITIA est. CHARITAS PROVECTA, PROVECTA JUSTITIA EST: CHARITAS PERFECTA, PERFECTA JUSTITIA est: sed charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita. Sed major, si non habet, quo crescat, cum de mortali excesserit vita. Ubicunque autem & quandocunque ita plena sit, ut ei, non sit, quod adjiciatur; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel naturæ, vel voluntatis operibus, quæ sunt in nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, qui & INFIRMITATI nostræ OPITVLATVR, & SANCTITATI COOPERATVR. IPSA est enim GRATIA DEI per Jesum Christum, Dominum nostrum, cui est cum Patre & Spiritu Sancto æternitas, bonitas, in secula seculorum.* Idem in eandem rem Lib. de *Perfectione justitiæ* scribit: *Non aliam ob caussam Scriptura commemorat, non esse grauia præcepta diuina, nisi ut anima, quæ illa grauia sentit,*

tit, intelligat, nondum accepisse VIRES, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur, leuia scilicet atque suauia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret DONUM FACILITATIS. Ibid. infra: *Commendantur ergo, non esse grauia, ut, cui grauia sunt, intelligat, se nondum accepisse DONUM, quo grauia non sint: hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen, cum ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur.* Et Psalm. LIX, 8. *Humeros pios quærebat Christus, cum diceret: JVGVM enim meum SVAVE est, & SARCINA mea LEVIS est. Alia sarcina premit & aggrauat te; Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & aui si pennas detrahas, quasi onus tollis; & quo magis onus abstuliſti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluiſti, jacet; non volat, quia tuliſti onus: redeat onus, & volat. Talis est CHRISTI sarcina. Portent illam homines, non sint pigri, non attendantur illi, qui eam ferre nolunt; ferant illam, qui volunt, & inuenient, quam sit leuis, quam suauis, quam jucunda, quam rapiens in coelum & e terra eripiens.* Ex quibus omnibus percipere est, totum conniti Auguſtinum eo, ne, perfectionem Pelagianorum diruens, veram *gratiæ operantis* virtutem fidelibus abrogare videretur. Nec vero hæc vera fuerit, neque id verum, quod detur *AFFECTVS CORDIS, CVI PRAECEPTA DEI HAVD GRAVIA SINT*, eorum si ullum impleri nequeat.

Propterea porro obſeruatu digniſſimum judicamus, quantam ſcripta Auguſtiniana paſſim adhibeant curam ac conſtantiam, ut vires peccati & gratiæ contrarias diſcernant, juxta illud Sapient. VII, 30. *Lucem quidem occultat nox, Sapientiæ autem non prævalet malitia.* & Rom. VI, 14. *Peccatum iis non dominabitur, qui non fuerint ſub lege, ſed ſub Gratia.* Quocirca plurimum momenti collocatur in *oppoſitione* iſta

litterarum ſacrarum, quod hæ totius legis *negatiuæ* malum intimum debellandum faciant *cupiditatem*, ſeu *concupiſcentiam carnis*, quam *deſiderium peccati* Auguſtinus appellat; ipſique opponant Legis *affirmatiuæ* propriam formam, *charitatem*, non quomodocunque acceptam, ſed *charitatem illam Dei, diffuſam a Spiritu Sancto in cordibus*. Rom. V, 5. Doctrinam inde ſic informat ille lib. III. de Doctr. Chriſti. c. X. *Omnia* (patefacta) *ad charitatem nutriendam atque corroborandam, & cupiditatem vincendam atque exſtinguendam valent. Charitatem voco, motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem, motum animi ad fruendum ſe & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum. Quanto autem magis regnum cupiditatis deſtruitur, tanto charitatis augetur.* Recte igitur exiſtimat, ſe inueniſſe *PRINCIPIVM BONI* pro lapſis inſtaurandis, non, quod infirmius ſit malo; aſt, eo quod robore in reſipiſcentibus poſſit vti, ut, deuicta corruptione, omnem legis partem expediat, præſtetque magis & magis, tanquam vera *charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta*. 1. Tim. I, 5. quæ talis non eſſet, ſi ea non impleretur illud, *Non concupiſces*. Quapropter nullus dubitat lib. de *vera* Innocent & Pſ. LXVII, 14. affirmatione *uniuerſali atque abſoluta* pronunciare: *OMNE præceptum Dei leue eſſe amanti. Nec ob aliud intelligitur dictum, Onus meum leue eſt; niſi quia dat Spiritum Sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris.* Quam quidem ſententiam Paulinam ex Rom. V, 5. in hoc argumento, velut anchoram, tenet firmiter, eaque integritatem legis, ex fide in ſtantibus ſtabilitam, usquequaque obſeruat. Uberrime dicti illius uſus hujusmodi conſpicitur in libro de *Perfectione juſtitiæ contra Coeleſtium*; ubi utrumque ait fideliſſime, ut,

tum *perfectionem graduum* ſupremam ab hac vita ſeponat, illis præcipue verbis: *Cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non OMNIMODO ex tota anima diligitur Deus:* tum *perfectionem partium* ſanctis & fidelibus in hac vita vindicet. Huc enim tendunt pleraque, quorum nonnulla adferamus. *Generalis prohibitio eſt, non concupiſces; & generalis juſſio, diliges. Vnde breuiter & Apoſtolus Paulus utrumque complexus eſt Rom. XII, 2. Prohibitio enim eſt, Nolite conformari huic ſeculo; Juſſio autem, ſed renouamini in nouitate mentis veſtræ. Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere: illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam: illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo enim vetuſtate exſpoliamur, & nouitate induimur diligendo. Sed nec quisque poteſt CONTINENS eſſe, niſi DEUS DET, ET CHARITAS DEI DIFFUNDATUR in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per Spiritum S., qui datus eſt nobis. Hoc autem fit de die in diem in iis, qui volendo & credendo & inuocando proficiunt, & præterita obliuiſcentes, in ea, quæ ante ſunt, extenduntur. Ad hoc enim Lex iſta præcepit, ut cum IN HIS IMPLENDIS homo defecerit, non ſe extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus; ac ſic eum Lex terrendo, ad Chriſtum diligendum pædagogi perducat officio.* Conf. ſupra cap. II. §. III. de uſu legis *negatiuæ.* Quando vero in iis implendis, quæ de non concupiſcendo præcipiunt, hominem deficere poſſe, audimus; non negantur ea impleri poſſe: namque antea dictum eſt, fieri illa ex charitate *DEI* per *CONTINENTIAM*, *ἐγκράτειαν*, 2. Petr. I, 6. quæ ipſa eſt *virtus noui ac decimi præcepti*, ex agnitione diuinæ charitatis ſic oriunda, ut animum fortiſſima cœleſtis amoris *ſuauitate* vinciat, ne diffluat cupiditatibus, ſed Spiritus Chriſti altitudinem cuſtodiat *temperantia* ac *tolerantia.* Act. XXIV, 25. Gal. V, 23.

Ejusdem notæ est, quod ex interuallo scribit : *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem ; quæ plena & perfecta tunc erit, cum videbimus a facie ad faciem.* Quibus paucis omnia complectitur feliciſſime. Omnino plenam & consummatam nondum esse charitatem, profitetur : eandem tamen, a Spiritu Sancto in cor-
„de humano diffusam, id præstare affirmat, ne lex prohi-
„bendo valeat peccati cupiditatem augere ; hoc enim,
„quam diu ipsa non impletur fidei & charitatis Spiritu, ef-
„ficere haud desistit. Ita ergo partem legis, concupiscentiæ oppositam, seruari, urget iterum. Argumentatur etiam pulchre ac solide, pro *perfectione integrali*, ex iis, quæ vias Dei integras, & vitam fidei integram designant. *Quod Jobus dicit : Vias ejus custodiui, & non declinaui a mandatis ejus, neque discedam : Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit, etsi aliquando, ut infirmus, offendit & titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perueniat, ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini, atque discedit apostata ; non ille, qui etiam, si habeat peccatum, cōfligendi tamen cum eo perseuerantiam non relinquit, donec eo perueniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit. Quod autem ait idem sanctus Job : non reprehendit me cor meum in omni vita mea : tunc nos in ista vita, in qua ex fide viuimus, non reprehendit cor nostrum, si EADEM FIDES, in qua corde creditur ad justitiam, NON NEGLIGIT reprehendere peccatum nostrum. Unde dicit Apostolus : Non enim, quod volo, facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago. Bonum est enim, non concupiscere ; & hoc BONUM VULT justus, qui ex fide viuit : & tamen facit, quod odit, quia concupiscit, quamuis post concupiscentias suas non eat. Quod*

ſi fecerit, tunc vere ipſe fecit, ut cedat & conſentiat, ut deſiderio peccati obediat. Tunc enim cor ejus reprehendit, quia ipſum reprehendit; non illud peccatum ejus, quod habitat in membris ejus. Cum vero non ſinit regnare peccatum in ſuo mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, nec exhibet membra ſua arma iniquitatis peccato; ineſt quidem peccatum in membris ejus, ſed non regnat, quia non obeditur deſideriis ejus. Et ideo, dum quod non vult agit, id eſt, non vult concupiſcere, & concupiſcit, CONSENTIT legi, quia bona eſt. Hoc etiam VULT ET IPSE, quod LEX, quia non vult ipſe concupiſcere; & Lex dicit, Non concupiſces. In hoc quoniam VULT, QUOD ET LEX VULT, procul dubio conſentit legi: concupiſcit tamen, quia non eſt ſine peccato; ſed jam non ipſe operatur illud, ſed id, quod in illo habitat peccatum. Ideo non ipſum reprehendit cor ejus in omni vita ejus: hoc eſt, in fide ejus. quia juſtus ex fide vivit. Ed ideo FIDES ejus eſt VITA ejus. Scit enim, quia non habitat in carne ejus BONUM, ubi habitat peccatum: ſed, NON EI CONSENTIENDO VIVIT EX FIDE, QUA INVOCAT DEUM, UT ADJUVETUR PUGNANS CONTRA PECCATUM; quod ut omnino ibi non ſit, adjacet ei VELLE, ſed perficere bonum, non adjacet: non, FACERE BONUM, non adjacet, ſed PERFICERE. Nam in eo quod non conſentit, BONUM FACIT; & in eo, quod odit concupiſcentiam ſuam, BONUM FACIT: & in eo, quod eleemoſynas facere non ceſſat, BONUM FACIT: & in eo, quod illi, qui in eum peccat, ignoſcit, BONUM FACIT: & in eo, quod petit ſibi dimitti debita ſua, & veraciter dicit, quod dimittit etiam ipſe debitoribus ſuis; & orat, ut non inferatur in tentationem, ſed liberetur a malo, BONUM FACIT. Ei tamen, PERFICERE BONUM, non adjacet; quod tunc erit, quando illa concupiſcentia, quæ habitat in membris ejus, nulla erit. Non ergo EUM reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum, quod habitat in membris ejus, & non habet quam reprehendat infidelitatem ejus. Ita nec in VITA SUA, id

est, *IN FIDE SUA*, *a corde suo reprehenditur*, *& sine peccato non esse*, *conuincitur*. In quibus ne quid Lector accipiat secus, potissimum duo secernenda sunt: (1) cum justus facere malum dicitur, & concupiscere, sermo est de motibus, non *proæreticis*, *sed inuoluntariis*, non tollentibus fidem ac gratiam operantem. (2) hîc bonum facere, & perficere bonum, sic distinguuntur, ut illud sumatur de actibus veris completisque, ex fidei & charitatis Spiritu proficiscentibus secundum præcepta singula, quales ad perfectionem *partium* sufficiunt; hoc autem, de modo perficiendi juxta omnes *gradus*. Et quid, pro *perfectione partium legis in Stantibus*, dici aptius potest, quam illud sequens? *Abstinet se ab OMNI RE MALA*, *qui peccato*, *sine quo non est*, *vel nunquam omnino consentit*, *vel si aliquando premitur*, *non opprimitur*; *sicut LUCTATOR FORTIOR*, *etsi aliquando tenetur*, *NON IDEO* (id) *PERDIT*, *QUO* (per quod) *SUPERIOR INVENITUR*. Item, de utraque & *partium* & *graduum*: *Nunc omnis proficiens*, *recta intentione proficiens*, *RECEDIT AB OMNI PECCATO*, *& tanto inde fit longinquior*, *quanto plenitudini justitiæ perfectionique* (absolutæ) *propinquior*: *quia & ipsa concupiscentia*, *quod est peccatum habitans in carne nostra*, *etsi manet adhuc in membris mortalibus*, *MINUI tamen NON DESINIT proficientibus*. *Aliud est ergo*, *recedere ab omni peccato*, *quod nunc in opere est*: *aliud*, *recessisse ab omni peccato*, *quod in ILLA perfectione tunc erit*. *Sed tamen & qui jam recessit*, *& qui adhuc recedit*, *non est negandus FACERE BONUM*. Identidem enim distinguitur ibi inter *ILLAM* perfectionem justitiæ, quæ in hac vita non est, & eam, quæ in hac vita est.

Nec tamen prætermittendum, quomodo Augustinus sic pugnans, ipsum perfectionis vocabulum, etiam de hujus vitæ cursu & Stantium officio, locis pluribus usurpare so-

ſoleat. Ibidem hæc legimus: *Quamdiu peregrinantes a Domino per fidem ambulamus, non per ſpeciem, unde dictum eſt: Juſtus ex fide viuit: hæc eſt noſtra in ipſa peregrinatione juſtitia, ut ad* ILLAM PERFECTIONEM *plenitudinemque juſtitiæ, ubi in ſpecie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit,* NUNC *ipſius curſus rectitudine &* PERFECTIONE *tendamus, caſtigando corpus noſtrum & ſeruituti ſubjiciendo, & eleemoſynas in dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos ſunt commiſſa, peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indeſinenter inſtendo, & hoc faciendo in doctrina ſana, qua ædificatur fides recta, ſpes firma, charitas pura. Hæc eſt* NUNC *noſtra* JUSTITIA, *qua currimus, eſurientes & ſitientes ad* PERFECTIONEM PLENITVDIMEM*que juſtitiæ, ut ea poſtea ſaturemur.* Non negans perfectionem hujus vitæ, *partium* quæ ſit, ubi alteram, quæ *graduum* eſt, indicat; apponere conſueuit *plenitudinem*, qua iſtos exprimeret. *In oratione Chriſti, ſi contentioſi eſſe nolimus, ſatis nobis propoſitum ſpeculum eſt, ubi inſpiciatur vita juſtorum, qui ex fide viuunt, &* PERFECTE *currunt, quamuis ſine peccato non ſint. Vnde dicunt, dimitte nobis: quia nondum, quo curritur, peruenerunt. Hinc dicit Apoſtolus: Non quia jam acceperim, aut jam* PERFECTUS *ſim: Fratres, ego non me arbitror apprehendiſſe: unum autem, quæ retro ſunt oblitus, in ea, quæ ante ſunt, extentus ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Quotquot ergo* PERFECTI, *hoc ſapiamus: id eſt, quotquot* PERFECTE CURRIMUS, *hoc ſapiamus, quod nondum* PERFECTI SVMVS, *ut illic perficiamur, quo* PERFECTE *adhuc* CVRRIMVS. In libro de *peccatorum meritis & remiſſione* cap. XIII. *Paulus jam erat* PERFECTVS VIATOR, *etſi nondum erat ipſius itineris perfectione peruentor. Denique tales vult ſecum in iſto curſu comites rapere, quibus continuo ſubjungit, & dicit: Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus:*

&

& si qxid aliter ſapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit: veruntamen, ait Apoſtolus, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulatio iſta, non corporis pedibus, ſed mentis affectibus, & vitæ moribus geritur, ut poſſint eſſe PERFECTI juſtitiæ poſſeſſores, qui recto itinere fidei de die in diem ſua renouatione proficientes, jam PERFECTI facti ſunt ejusdem juſtitiæ viatores. Cap, XV. Cum dicitur cujusque PERFECTIO, qua in re dicatur, videndum eſt. Nam ex Apoſtolo teſtimonium paulo ante poſui, ubi ſe fatetur in acceptione juſtitiæ, quam deſiderat, nondum eſſe perfectum; & tamen continuo dicit: Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus: quod utrumque non diceret, niſi in alia re perfectus eſſet, in alia non eſſet. Velut ſi jam ſit quisquam ſapientiæ perfectus auditor, quod nondum erant illi, quibus dicebat: Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis; ſed nec adhuc quidem poteſtis. Eis quippe & illud ait: Sapientiam loquimur inter PERFECTOS; utique PERFECTIORES auditores volens intelligi. Poteſt ergo fieri, ſicut dixi, ut jam ſit aliquis ſapientiæ perfectus auditor, cujus nondum ſit perfectus & doctor: poteſt perfectus eſſe juſtitiæ cognitor, nondum perfectus effector; poteſt perfectus eſſe, ut diligat inimicos, qui nondum eſt perfectus, ut ſuſferat. Et qui perfectus eſt in eo, quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem peruenerit; quæritur, utrum jam ſit in ipſa quoque dilectione perfectus: id eſt, utrum quos diligit, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos eſſe præſcribit. Talia quam plurima in Auguſtino paſſim occurrunt: poſteriora autem non modo perfectionem partium, uniuerſis ſtantibus communem, ſed & *comparatiuam* illam, de qua ſuper c. I. §. IV. & VI. reſpiciunt; ita, ut mentione diuerſæ rei, partim varia *objecta*, partim majores partium *gradus* ſignificentur; non item partes ipſæ neceſſariæ, quarum abeſſe nulla,

nulla, per *rerum* naturam illarum, quæ producuntur, poteſt.

Sed quorſum teſtimonia illa Auguſtiniana? nimirum ut liquido conſtet, quomodo fieri nequeat, ſalua ut veritas diſcriminis inter *Legem & Euangelium* conſeruetur, niſi vera ac *poſitiua* gratiæ, fidei ſeu charitatis, agnoſcatur vis & efficacia, ex Euangelio profluens, quæ ſecundum ſingulas atque omnes legis partis perſtare poſſit in fidelibus ſanctis, perpetuo licet imbecillitatis morbo laborantibus.

III. Eſſe & habitare diffuſam in eorum cordibus charitatem Dei ac Spiritus Sancti gratiam, negauerit nemo, niſi qui verbum Dei ipsum non admiſerit. Eandem juxta *omnes ſingulasque Legis partes* adeſſe, cum homo ex Spiritu generatus Spiritus, ac fides victoria de mundo facta eſt; Joh. III,6. 1.Joh. V,4. & *res* ipſa & prioris *Propoſitionis* demonſtratio, oſtendit tam certum, ut contrarius opinionis error contra Scripturam dixerit, Deum non *creare cor mundum*, Pſ. LI,12. non *innouare SPIRITUM FIRMUM* intra hominem, v. 12. non *ſcribere legem in corda:* Jer. XXXI, 33. non *remouere cor lapidis*, non *DARE COR* carnis; non *dare COR NOVUM, SPIRITUM nouum intra hominem; Spiritum ſuum* non *dare, non facere, ut in ſtatutis diuinis ambulare, & diuina judicia cuſtodire, ac facere poſſimus.* Ezech. XXXVI, 26. 27. Deum *per SPIRITUM VITÆ in CHRISTO JESU non LIBERARE a lege peccati & mortis, nec nouitatem Spiritus, ſenſum Spiritus*, nec *SPIRITUM CHRISTI* conferre. Rom. VI, 4. VIII, 2. 4, 5. 10, 11. *qui Chriſti ſunt*, non ita *carnem crucifixiſſe cum paſſionibus & concupiſcentiis*, ut *SPIRITU VIVANT.* Gal. V, 24, 25. non *INDUISSE CHRISTUM.* c. III, 27. Deum *mortuos* in peccatis, non *VIVIFICARE* & *ſuſcitare cum Chriſto juſtifi-*

ſtificatos: *non factos opus Dei*, non *CREATOS in Chriſto Jeſu ad bona opera.* Eph. II, 5, 6. 10. non *renouari SPIRITU mentis ſuæ, nec induere nouum hominem, creatum juxta Deum in juſtitia & ſanctitate ipſius veritatis.* c. IV, 23, 24. non factos *LUCEM in Domino, lucisque filios.* c. V, 8. 1. Joh. I, 7. II, 9. non *eſſe ex VERITATE.* cap. III, 19. nec ipſis *SPIRITUM ſuum, MENTEM ſuam Filium Dei dediſſe.* c. III, 24. IV, 13. V. 20. &c. Hæc omnia enim non aliter intelligi poſſunt aut debent, quam de partibus Legis uniuerſis, quæ Spiritu fidei & charitatis in homine inſtaurandæ ſunt.

Quandoquidem vero ita poenitentiæ ac regenerationis opus ad præcepta omnia pertinet, an forte in renouationis negotio excipi ullum poterit, quod haud integretur? Faciamus hujus rei periculum, fingamusque, partem Legis illam, quæ ultima in Decalogo eſt, *non* ſeruari a *Stantibus*: certe ſtantes non erunt ſtantes, repugnantiaque committetur apertiſſima. Scite CHEMNITIUS obſeruat de *nono & decimo præcepto*, ipſum Filium Dei oſtendere ſic interpretanda illa duo, *ut ducantur per omnia præcepta totius Decalogi.* Præſertim ultimum, ut non accuſat tantum affectus vitioſos, ad quos accedit conſenſus; ſed ipſam etiam prauam inclinationem, contra ſingula præcepta: ſic contra requirit affectiones pias, & ſanctitatis radicem atque habitum juxta eadem. Hic igitur eſt ille, qui *Spiritus ex regeneratione* datus prædicatur, ſeu vitæ *ſpiritualis* ſemen. Fac proinde, propter concupiſcentiam, qua regeniti afficiuntur, poſtremam præceptionum hanc partem non impleri; (de *gradibus* jam non quæſtio eſt:) num, quæſo, remanebit aliqua Legis particula, quæ obſeruari vere poſſit, principio iſto fidei ſublato? Quæ vero abſurda

da contra Scripturam & hinc ſequentur! nempe hæc: ob peccata ex infirmitate admiſſa, Deum a fidelibus *auferre Spiritum Sanctitatis ſuæ*, nec *SUSTENTARE* eos *ſpiritu ſponaneo*. Pſ. LI, 13, 14. *in multitudine tentationum conſolationes Dei non oblectare animum ipſorum*. Pſ. XCIV, 19. non retinere illos *NOVITATEM SPIRITUS*, in qua *ambulare*, *& Deo ſeruire* queant. Rom. VI, 4. VII, 6. eos, *qui in Chriſto Jeſu ſunt*, non *SECUNDUM SPIRITVM AMBULARE*. c. VIII, 1. non *ſentire*, *quæ Spiritus* ſint, nec *SENSUM* hujus, *VITAM* & *PACEM* cuſtodire v. 5, 6, 7. *SPIRITUM DEI* non *HABITARE* in ipſis v. 9. 11. neque eos *mortificare ſpiritu actiones corporis*; non *agi Spiritu Dei*, nec Fideles ſentire hunc *adoptionis teſtem*, *aut SUBLEVANTEM* ipſorum *infirmitates*. v. 13, 14. 16. 26. *ſeparari a charitate Chriſti*, nec *vincere*. v. 35. 37. non *ſiſtere corpora ſua hoſtiam VIVAM*, *ſanctam*, *acceptam Deo*; nec *ſe TRANSFORMARE per renouationem mentis*. c. XII, 1, 2. *abhorrentes a malo*, non *AGGLUTINARI BONO*. v. 9. non *FERVERE SPIRITU*; *non ſeruire Domino*, *non perdurare in oratione*: v. 11, 12. ſed *vinci a malo*, nec *VINCERE BONO MALUM*. v. 21. *charitatem*, de ipſis quæ dicitur, nullo ſenſu vero eſſe πλήρωμα νόμυ, *LEGIS COMPLETIONEM*. c. XIII, 10. non *indutos* eos *armis lucis*, nedum ipſo *Domino Jeſu Chriſto*; v. 12. 14. nec *ſeruire Chriſto in juſtitia*, *PACE & gaudio in Spiritu Sancto* c. XIV, 17. nihil ipſorum *ex fide eſſe*, ſed *peccata* omnia. v. 23. *Teſtimonium Chriſti* in ipſis non *firmari*, neque ipſos *FIRMARI a Deo* poſſe. 1. Cor. I, 6. 8. ſed *redigi ſub rerum omnium poteſtatem*; *non agglutinari Domino*, *nec unum cum eo Spiritum eſſe*; *non eſſe templa Spiritus Sancti*, *nec glorificare Deum in corpore ſuo*, *& in Spiritu ſuo*. c. VI, 12. 17. 19, 20. *Si quis in Chriſto*, non hunc eſſe *NOVAM CREATURAM*, nec *ſecundum hanc regulam* poſſe *INCEDERE*. 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15, 16.

Christum non esse aut *viuere in fidelibus* 2. Cor. XIII, 5. Gal. II, 20. *qui in Spiritu inceperint*, non posse *in eodem pergere*, c. III, 3. *fidem* non *per charitatem operari*. c. V, 6. *SPIRITU INCEDENTES*, quod *concupiscit caro, perficere ; eaque concupiscente aduersus SPIRITUM, hunc non bona conscientia in aduersum DOMINARI, neque ipsos SPIRITU DUCI*. v. 16, 17, 18. non dari *FRUCTUS SPIRITUS, contra quos non sit Lex ; neque ita crucifigi affectus prauos, ut viuentes Spiritu, SPIRITU etiam INCEDANT*. v. 22, 23, 24, 25. non esse *OBSIGNATOS spiritu promissionis sancto, arrhabone* ; Eph. I, 13, 14. nec *FORTITER CORROBORARI per Spiritum Dei in interiore homine ; aut radicari & fundari in charitate, Christo in cordibus per fidem inhabitante*. c. III, 16, 17, 18. Non posse fideles *vere agere in charitate, ut crescant in Christum caput per OMNIA* ; non *deponere veterem*, nec *renouari SPIRITU MENTIS sua, induentes nouum hominem in justitia & sanctimonia veritatis*. Eph. IV, 15, 16. 22, 23, 24. *Obsignatos Spiritu sancto Dei*, non posse non ipsum *tristitia afficere*. v. 30. Factos *lucem in Domino, ut filios lucis* non posse *incedere*, nec proferre *fructus Spiritus* in *OMNI bonitate, justitia & veritate*. c. V, 8, 9. *corroboratos forti robore Domini, indutosque uniuersa armatura Dei non POSSE STARE aduersus insidias Diaboli, nec resistere, nec OMNIBUS confectis*, adhuc *STARE ; non stare lumbis circumcinctos veritate, ac justicia thorace indutos ; assumto fidei scuto non posse OMNIA jacula mali illius ignita extinguere*. c. VI, 10. 13, 14. 16. ipsorum *CHARITATEM*, concupiscentiæ oppositam, non *magis & magis redundare in agnitione omnique sensu* ; non esse *sinceros, nec in offenso cursu* posse *pergere, plenos justitiæ fructibus, qui per Jesum Christum existant*. Phillipp. I, 9, 10, 11. non esse eo *AFFECTU præditos, qui & in Christo Jesu*, c. II, 5. nec posse *in Domino gaudere semper* ;

nec

nec *PACEM DEI CONSERVARE corda & mentes in Christo Jesu.* ib. c. IV, 4. 7. neque *imperare in iis.* Col. III, 15. neque *CORROBORARI OMNI ROBORE* ipsos *secundum gloriosam Dei potentiam, ad OMNEM tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.* c. I, 11. non *mortificare membra terrestria*, nec *deponere illa OMNIA;* veterem hominem cum *ipsius motibus* non *exsuere*, neque *INDUERE NOVUM*; nec *indui, ut electos Dei sanctos atque dilectos, VISCERIBUS miserationum, benignitate, modestia, mansuetudine, lenitate*, c. III, 5. 8, 9, 10. 12. non *corda inculpata STABILIRI SANCTIMONIA coram Deo.* 1. Th. III, 13. in ea non posse *magis prouehi*, cap. IV, 10. aut *totos sanctificari*; nec *INTEGRUM SPIRITUM cum anima & corpore inculpate seruari.* c. V, 23. non reperiri *charitatem ex PURO corde & conscientia BONA, & fide non FICTA*: nec *retineri fidem & bonam conscientiam.* 1. Tim. I, 5. 19. non teneri *datum SPIRITUM ROBORIS, & charitatis, & sanitatis animi.* 2. Tim. I, 7. neminem *legitime certare*, aut *coronari.* c. II, 5. nec *certamen præclarum decertare, nec cursum consummare, nec FIDEM SERVARE;* 1. Tim. VI, 12. 2. Tim. IV, 7. *nec sapienter, juste & PIE viuere in præsenti seculo*, seu *ZELUM præstare in bonis operibus, quenquam posse.* Tit. II, 12. 14. nec posse τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως *RETINERI FIRMAM.* Hebr. III, 14. nec posse *TENERI GRATIAM, per quam ita seruiamus Deo, ut ei placeamus cum pudore ac timore.* c. XII, 28. nec *Deum nos perficere in OMNI opere bono, ad præstandam Dei voluntatem*; nec *efficere in fidelibus, quod ipsi acceptum sit.* c. XIII, 21. non dari *occultum cordis hominem*, situm *in INCORRUPTIONE lenis ac quieti Spiritus, pretiosum coram Deo.* 1. Petr. III, 4. *neminem resistere FIRMUM PER FIDEM*; nec ipsum *DEUM afflictos integros reddere*, nec *stabilire*, nec *roborare, aut fundare.* 1. Petr. V, 9, 10. *fugientes cupiditatem, naturæ diuinæ haud consortes fieri; nec virtutem ex virtute fluere*; nec fide-

les *in Domini ſui imaginem transformari a gloria in gloriam*; neque *vocationem* ita *FIRMAM poſſe efficere, ut ne impingant.* 2. Cor. III, 18. 2. Petr. I, 4, 5. &c. 10. nec *cauere, ne excidant a propria STABILITATE, ut CRESCANT in gratia.* c. III, 17. *qui malum vicerint, habitante in ipſis verbo Dei*, non *eſſe* tamen *FORTES*, nec *manere in Chriſto.* 1. Joh. I, 14. 28. in renatis *SEMEN DEI* non *MANERE* poſſe. c. III, 9. neque *ex SPIRITU, quem ipſis dedit, eos nouiſſe, quod in ipſis HABITET:* v. 24. c. IV, 13. nec *conſeruare ſemet ipſos in Vero.* c. V, 18. 20. *VERITATEM* non *MANERE in fidelibus*, neque hos *INCEDERE IN VERITATE:* 2. Joh. v, 2. 4. 3. Joh. v. 3, 4. nec denique poſſe *per Spiritum S. orantes, ſanctiſſimæ fidei ſe ſuperſtruere & conſeruare in charitate Dei.* Jud. v. 20. nec *quod habeant*, *TENERE.* Apoc. III, 11.

Omnia iſthæc, iterum contra Scripturam poſita, ſunt talia, quæ neceſſario ſequantur ex eo, ſi quis *ſtatuerit*, primum vel ultimum præceptum a *regenitis* non præſtari propter concupiſcentias *inuoluntarias*; hoc enim poſito, neceſſe eſt, tollatur gratia *habitualis*, decimi præcepti propria, ipſaque ſublata nihil veri ſuperſit. Quod quum diruat omnem Euangelii oeconomiam, reſtituendum oppoſitum eſt, de manente Spiritu fidei & charitatis, omniumque bonorum fructuum: atqui iſte, aduerſus carnem *concupiſcens bonum*, Fideles non aliter *ducere*, Gal. V, 17, 18. aut reſidere in iisdem poterit, quam durante ipſius dominatu. hic vero eſt ipſa legis *impletio*, *inchoata* licet, vera tamen, atque integritate partium *legalium* conſtans, nec niſi *gradibus* recipiens minus vel majus quiddam. Unus id *Jacobus* ſatis edocuerit, agens tum de *introſpiciendo in PERFECTAM LEGEM, quæ libertatis ſit, tum de permanendo in ea.* c. I, 25. Totum *caput* verſatur in tentationibus ac cupiditatibus

tatibus ſuperandis, non ex lege modo illa, quæ dicit, *Non concupiſces;* quam quidem audiens facile vel obliuioni tradiderit, vel traxerit ad malum ipsum magis irritandum: ſed ita, ut *DONUM DEI PERFECTUM* uſurpetur, adhibitoque Euangelio, mentes contritæ ac renatæ in Verbi receſſus penetrent, atque *ſermonem* hunc ſibi *inſititium* amplectantur, agnoſcentes legem, fide ſtabilitam; id eſt, ita *perfectam* redditam, ut ex ipſo *Spiritu* fidei & charitatis *poſitiuo* libertatem, a præcepti *negatiui* regnante aculeo, ſentiant, & *permanentes* in ipso obſequio, *beatæ* ſint, *immaculatas ſe a mundo ſeruantes.* v. 13, 14. 17. 21. 24, 25. 27. Additur hinc, ad affectum *metus* ciendum, non tantum illud: *quisquis totam legem ſeruauerit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur*, id quod ſupra vidimus: verum etiam, quod *per legem libertatis ſimus judicandi*, rationem reddituri grauiſſimam, ſi vel *ita fecerimus*, vel *ita* fuerimus *LOCUTI*, ac ſi lex Euangelii legem, de concupiſcentia fugienda, non ſic inſtaurare in hominibus poſſit, ut Euangelicæ libertatis gratiam, cupiditatibus potentiorem, experiantur. c. II, 10. 12. Unde & cap. IV. verbis, milite Chriſtiano digniſſimis, ad omnes dicitur: *Reſiſtite Diabolo*, & *FUGIET a vobis!* Eandem libertatem Paulus tantopere commendat, tanquam oppoſitam *Renatorum* ſtatui ante *Regenerationem* priſtino, Rom. VI, 18. 22. c. VIII, 2. ut *mortuos peccato, juſtificatos a peccato* eſſe, pronunciet Rom. VI, 7. hoc eſt, abſolutos a *reatu*, & a peccati *dominio* liberatos: quæ eſt optima iſtius *prædicati* interpretatio JAC. WELLERI in hunc locum, *antecedentibus & conſequentibus* reſpondens. Atque agitur ibi, ut idem ait, *de morte in regeneratione, & ſic dominii derogatio & radicis peccati extenuatio notatur.* Cur vero dicit *mortuos peccato;* niſi aduerſus totam legem, omnem-

omnemque hujus partem, considerando? Aſt *quales*, ab eodem *juſtificatos*, putat? non ſane mortuos illi tantum; ſed contra, qui etiam exinde *viui Deo reddantur in Chriſto Jeſu, Domino noſtro*: ut legimus v. 8.11. (Conf. anteced. c. V, 9,10. 21.) id quod non minus ſecundum omnem Legis partem valebit. Itaque intelligimus hinc duo: (1) exordium libertatis ſpiritualis ponendum in vera *contritione*, qua communio mortis Chriſti vires peccati eneruare incipiat, ne poſſit animum concupiſcentia vincire, a lege ſeruanda abſtrahere, & ineſcando retrahere in captiuitatem. 1. Cor. VI, 12. Jac. I, 14. (2) ejusdem vero libertatis maturitatem pendere ex vi reſurrectionis Chriſti, ut mortui peccato, & ab hoc juſtificati, efficacitate Fidei illa gaudeant, quæ juxta unumquodque præceptum *VITAM SPIRITUS CHARITATIS* in iis peperit, efficiens ipſos idoneos, qui in *PERFECTA LIBERTATIS LEGE* permanere queant, neque excidant parte ulla. Quorum utrumque eſt, quod digne ponderandum præter cætera exiſtimamus: quomodo ob *Veteris mariti mortem* in poenitentia fiat, ut Maritus animæ nouus ac verus, Chriſti Spiritus, primi atque ultimi præcepti effector, victoriam ex ipſius merito penes hominem obtineat ac tueatur; neque hinc ullum mandatum relinquatur non impletum. Rom. VII, 3, 4. 6. Eph. I, 17, 18, 19, 20. Ita enim ſi radicata fuerit in Chriſto charitas, ἀδέποτε ἐκπίπτει, nunquam excidit. 1. Cor. XIII, 8. Phil. I, 9, 10, 11. Et vero iſthæc duo quam conſtanter Scriptura Sacra Fidelibus attribuat, compluribus iis modo congeſtis locis, & *Conuerſionem* & *Renouationem* ſpectantibus, ideo ante oculos viſum eſt proponere, ut mens Lectoris, illorum omnium notationes diligentiſſime & ſanctiſſime perpendens, ultro aſſequatur id, quod res eſt; non poſſe videlicet

cet partem Legis ullam ſtantibus, charitatis uno Spiritu animatis, deeſſe ad obſeruandum præſtandumque. Ejusdem cauſſæ principia neceſſaria, impedimenta & pericula, quum ab initio fuſius expoſuerimus, demonſtrationi cumulate ſatisfactum erit.

CAP. III.

ANTITHESIS REFELLITUR.

COnfidimus equidem, Theſin ipſam ita firmiter fundatam eſſe ac roboratam, ut veritas agnita argumentationes facile poſſit diluere quaslibet contrarias. quoniam vero in iis, quæ animos a fallaci carnis licentia ad Spiritus veritatem auocant, fere fit, ut *Deus hujus ſeculi excœcet mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei*, inſtaurans imaginem Dei in fidelibus *facie retecta*, hoc eſt, juxta præcepta omnia, a *gloria in gloriam*; 2. Cor. III, 18. IV, 4. idcirco operæ pretium eſt, videre, quid hæſitationem aduerſus Perfectionem partium, integro ſenſu ſtatuendam, alere & fouere ſoleat; quidque vana ſpecies a vero diſcrepet, oſtendere, eamque ab hoc ipſo decerpere ac ſecernere.

OBJECTIO I.

A Legis partibus non eximendos gradus; quorum perfectio ut hujus vitæ non eſt, ita nec partium perfectionem integram ſtatuendam.

RESPONS.

CErtum eſt, quemadmodum nullam partem, ita nec gradum ullum, ſi Lex ſola, ſibi relicta, & tota ſua *quantitate* juxta ac *qualitate*, perfectionem exigat, defieri debere. Quandoquidem enim legis diuina indoles *ſpiritualis* exiſtit, Rom. VII, 14. cujus natura maxime propria expletionem intendit exquiſitiſſimam; eatenus tantum abeſt, ut lex momenta ſanctimoniæ ſuprema non deſideret, ut tota potius eo nitatur ac contendat. Ut autem exemplo difficultatem hanc clariſſime expediamus, quæritur de Chriſti Domini ſententia Matth. V, 48. *ESTOTE VOS PERFECTI, UT PATER VESTER, QUI IN COELIS, PERFECTUS EST.* Sunt, qui non vereantur committere, ut ipſius Magiſtri coeleſtis mentem peruertant, temere fingentes, haud dici, quid fieri poſſit, verum quid fieri debeat; nimis impie quidem illi immemores prælucentis apertæ *oppoſitionis*, qua, qui perfectionem a Chriſto præceptam neutiquam aſſequantur, nequaquam annumerentur filiis Dei, ſed publicanis. Rectius *Auguſtinus* in hæc Chriſti verba contra *Pelagianos* c. XIV. & XV. ut ſupra fuſius adductum eſt, animaduertit: *Cum dicitur cujusque perfectio, qua in re dicatur, videndum eſt.* &c. Quum ergo non poſſit ibi intelligi perfectio graduum ſeu abſoluta, & tamen accipienda ſit ejusmodi, quæ quibusuis ex Spiritu Dei renatis durantibus conueniat; Theologi recte diſtinguunt inter eam, quæ *veritatis* ſit, omnium verarum virtutum ſemina diuinitus illis inſita complectens, & *æqualitatis* alteram. En *VERA* perfectio, non graduum, ſed partium iſtarum, quibus poſitis homo vere eſt filius Dei! ib. Matth. V, 45. At enim cur Unigenitus appellat *filios Dei*, & quod maximum eſt,

per-

perfectos, a quibus non tam *ÆQUALEM*, quam *VERAM* Dei indolem requirit? cur rationem habet *QUALITATIS*, nec pariter *QUANTITATIS*, in iis, quæ Legis æternæ ſunt? Nimirum, quia ipſe *mediator* eſt, perfectionis neceſſitatem *Foederis Euangelici ordini* attemperans. Ordo foederis Euangelici, quod Deus cum hominibus poſt lapſum iniit, perfectum ſeu *INTEGRVM* quid in homine inſtaurans, hoc tanquam verum & ſincerum accipit, prout opponitur ſimulato & mendaci, & præciſe *qualitatem* rei ſpectat, nec tantopere, quatenus augeri poſſit, vel non poſſit; cui licet multi gradus defuerint, non dici id tamen debet mancum, ſed juſtam habet indolem in genere ſuo, perfectumque eſt veriſſimo illo ſenſu, quem Hebræa lingua nomine תמים deſignat Gen. XVII, 1. & quo Pſaltes *ſubjecti juſtificandi*, ſeu *juſtificati*, neceſſariam proprietatem exponit, in hoc uno ſitam, ut *IN SPIRITV EJVS NON DOLVS* ſit. Pſal. XXXII, 2. Ita quippe & gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta, ut homo in Chriſto *creatura noua* reddatur, cujus veritas præcepti decimi eſt quam maxime. 2. Cor. V, 17. Nec vero completam redintegratæ hujus imaginis Dei rationem, ſeu perfectionem, æſtimari ex *quantitate*, ſed ex illa fidei indole, quæ *victoriam de mundo* præſtet; 1. Joh. V, 4. Euangelium uniuerſa Fidei analogia oſtendit. Lex ſecundum ordinem *Pacti Legalis*, quod ante Lapſum vigebat, hominem *viuificare* poterat ac debebat ita, ut hic omnes ejus numeros expleret, neque opus ipſi remiſſione eſſet vel culpæ, vel pœnæ: quod idem præſtare Legem Moſis, Scriptura S. negat. Metienda igitur juſtitiæ perfectio erat ex omni abſolutione. Sic fiebat, ut ſupremi gradus merito eſſent partes maximæ principales. Poſtquam vero partium legis minimarum

& maximarum debitum recepit Christus, Pater coelestis foedus Euangelii tam benigne constituit, ut propter eum non modo pristinorum delictorum non meminisse, nec rigide, quanta debemus, consectari velit; verum etiam pleniſſimam ejus sanctitatem nobis attribuere, ac conferre *promiſſum ſpiritum*, *naturam*, seu indolem & qualitatem, *diuinam*; modo corruptionem, quæ *in mundo in cupiditate* inest, fugerimus, & consentanea receperimus fide tantas promissiones. Gal. III, 14. 21, 22. 2. Petr. I, 4. annectens nihilominus & hanc, qua, si dictum vitæ æternæ fundamentum jecerimus fideliter, quo majores tum in Christo obedientiæ nouæ efflοruerint gradus, eo sublimiora etiam futuræ gloriæ accrescentia præmia exspectare habeamus. Hîc ergo alia prodit perfectio, quam Legalis illa; nimirum Euangelica. Quicquid justitiæ graduum in foro diuino desiderari potest, perfectio, quæ, a *Christo* parta, dicitur *IMPUTATA*, abunde affert hominibus, vere in ipsum credentibus: *NON* autem *VERE CREDUNT, NISI QUI FIDE PECCATUM VINCUNT ET MORTEM.* Apol. Aug. Conf. p. 112. Atqui hæc *subjecti conditio* est *INHAESIVA* perfectio, non *Legalis* quidem indolis, quæ aliquid mereatur coram Deo; sed ordinis solùm Euangelici, ne sanctissimi *Dei gratia transferatur ad proteruitatem.* Judæ v. 4. veruntamen ad Legem etiam foederis noui isthæc ratio refertur hactenus, ut Lex stabiliatur contra peccatum, *ne hoc amplius dominari possit* in homine. Rom. VI, 6. 14. VIII, 1. Quo quidem certo *FINE* constituto factum cernimus, ut *gratia* illa, sub qua Fidelibus tam securis liceat esse, jure suo perfectio agnoscatur vera, utpote quæ omnibus ac singulis Legis partibus *viuificantem* Spiritum restituit, ipsumque regnantem; neque ideo ex *quantitate graduum*, verum ex

quali-

qualitate iptius *formæ*, quæ *quantitatem* quidem *numericam præceptorum* adimplet, cenſeri debeat. Quum enim intra finem monſtratum dicta ordinis Euangelici neceſsitas cohibeatur, ſecundum eum partes Legis principes fiunt *primitiæ ſpiritus*, cuilibet præcepto ad dominium peccati ſuperandum atque elidendum accommodatæ ac ſufficientes; tametſi ita, ut renati ſint ἔχοντες τὴν ἀπαρχὴν τῦ πνεύματ@, Rom. IIX, 23. *habentes ac retinentes* βεβαίαν τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποςάσεως, firmum principium ſubſtantiæ ſpiritualis. Hebr. III, 14. qua locutione admodum ſignificanter *primitiarum ſubſtantialium*, ſeu partium, integritas confirmatur. *Gradus* autem, qui regenitis deinceps inhæreant, non tam ad *finem* iſtum aſſequendum pertinent, quàm ex eo oriuntur, ipſoque, ratione *ordinis* ac *neceſsitatis* ad ſalutem habita, poſteriores, ideoque in pacto Euangelico partes *minus principales* ſunt. Nam manifeſta eſt conſecutio, partes, ad rem in ſpecie ſua conſtituendam neceſſarias, primarias exiſtere; alias vero, quæ certo modo aut tempore ſine interitu ejus abeſſe queant, perfectionem adducere, quam *accidentalem* nominant: unde & *Renouationis gradibus* ſcite aſſignantur præmia *accidentalia*. Itaque diſtinguimus primò inter pactum *Legale*, quod *gradus inbæſuos* omnes ponebat ac requirebat, eoque ipſo perfectionem & graduum & partium; & *Euangelicum*, quod perfectionem utramque non minus præ ſe fert. illam autem hoc e Chriſto ſalutariter credentibus imputat, proptereaque eandem non poſtulat plenisſimè ipſis inhærentem; requirit tamen aliquam hujusmodi, ſed quæ partium eſt, nec meriti cauſſa, ſed quia eam diuinus ordo, ipſa *Poenitentiæ* ac *Fidei* natura, ſic efflagitat, ut *Juſtificatio* ex *Imputatone Chriſti* nec eſſe cujusquam nec manere poſsit, niſi

qui *incedat vestigiis fidei patris Abrahami, quæ fuit in præputio* talis, ut *contra spem sub spe crederet*; Rom. IV, 5. 12. 18. quique *Spiritum Christi* receperit, *sine quo ipsius nemo* est nec permanet. Rom. VIII, 9. 2. Cor. XIII, 5. quique ita intueatur *in legem libertatis INTEGRAM, & in ea sic perseuerare velit, ut in ejusdem effectione beatitatem retineat*. Jac. I, 25. Deinde, ad propositam *Objectionem* hæc non eo sensu regerimus, quasi negandum sit, vel, justitiæ gradus supremos in Foedere Euangelico tanquam Legis partes attendi, quos Christus persoluit, & nos Fide amplectimur absolutissimos; vel, graduum curam in Renouatione esse necessariam, quæ tam necessaria sit, ut, qui ei non sit deditus, sit *cæcus, & oblitus, sese a peccatis veteribus purgatum*: 2. Petr. I, 9. sed distinctio omnis eo tendit, ut intelligamus differentiam, quæ semper obseruanda inter *Justificationem* & *Regenerationem*, atque inter hujus Partes *constitutiuas* & *consecutiuas*. Est ergo Perfectio Partium integra, etiamsi destituatur gradibus; qui regenerationem, renouationem seu sanctificationem latius dictam, inchoatam veram legis impletionem, creatum novum hominem, veritatem, quæ in Christo Jesu est, consequuntur, confirmant, augent, nec tamen eandem efficiunt aut constituunt: nec isti propterea eximendi sunt a Legis partibus, modo discernantur partes Legis, referendæ ad *Justificationem*, a Legis partibus ad *Regenerationem* reuocandis. In pacto Legali legis partes principales sunt ipsi gradus, ad *justificandum* ita requisiti, ut homini omnes inhæreant. In pacto Euangelico iidem manent partes Legis principales, quatenus *justificationem* intendunt; verum hujusmodi gradus quæruntur frustra in nobis, inueniuntur autem in Christo, ut nobis *imputandi*: attamen, ut nobis imputari illi possint, ad totam Legis

indo-

indolem intra nos renaſcamur, neceſſe eſt ordine immutabili. In hoc partes legis, ſecundum præcepta omnia, respiciuntur; at indoles ipſarum partium ſeu *qualitas*, non item *quantitas* ipſorum graduum: qui poſt *regenerationem* completam, & *juſtificationem*, demum accedunt, atque idcirco in hac via partes ſunt minus principales. Quamobrem *partes implendæ legis principales, in ordine foederis Euangelici, eſſe gradus ejusdem inhæſiuos;* hoc vero eſt, quod negamus. (Conf. ſupra p. 9, 10. 12. 36. 41.) Ex quibus euidentisſimum ſimul redditur, quanti momenti ſit diſcrimen, quo partes legis a gradibus in Eccleſia Euangelica diſtinguuntur, ut ne aditus ad diſcernendum a Lege Euangelium præcludatur ignaris, vel inuitis etiam.

Quod ſupereſt, habemus jam perfectionem Euangelicam duplicem: unam *graduum*, in merito Jeſu Chriſti eminentiæ pleniſſimam, qua *juſtificamur* ſola coram Deo; alteram illam partium, ad quam regeneramur ita, ut ipsa priorem circumſtet in nobis. Nec vero inuſitatum eſſe loquendi modum, quo perfectio graduum e Chriſto deriuatur, præter cetera teſtimonio edocemus Leonh. HUTTERI Explicat. Libr. Chriſt. Conc. *Perfecti ſunt renati ratione imputatæ juſtitiæ Chriſti, quæ in ſcholis appellatur perfectio graduum; reſpiciens ſummum illum gradum, quo Legi diuinæ poteſt ſatisfieri. Qualis perfectio in renatos non cadit reſpectu inhærentis, & uti Jeſuitæ ſomniant, infuſæ alicujus ſanctitatis & perfectionis: ſed, tantum reſpectu imputationis per fidem.* De Perfectione Partium, quoad eam Gratia diuina in nobis gignit, notatu dignus eſt locus apud *IRENAEVM*, qui Sec. II. docuit, *aduerſus Hæreſes* lib. V. c. VIII. *Perfectus homo commixtio & adunitio eſt animæ aſſumentis Spiritum Patris, & admixtæ in carne, quæ eſt plasmata ſecundum imaginem Dei. Propter quod & Apoſtolus ait: Sapientiam loqui-*

mur

mur inter Perfectos. Perfectos dicens eos, qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum & ipse loquebatur. Quemadmodum & multos audiuimus fratres in Ecclesia Propbetica habentes charismata, & per Spiritum uniuersis linguis loquentes, & absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem, & mysteria Dei enarrantes; quos & spirituales Apostolus vocat, secundum participationem Spiritus existentes spirituales, sed non secundum defraudationem & interceptionem carnis, & nude hoc ipsum solum. Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis, & nude id ipsum solum Spiritum intelligat; jam non SPIRITVALIS homo est, quod est tale, sed spiritus hominis aut Spiritus Dei. Cum autem spiritus hic commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem Spiritus, spiritualis & perfectus homo factus est, & hic est, qui secundum imaginem & similituainem factus est Dei. Si autem defuerit animæ spiritus, animalis est vere, qui est talis, & carnalis derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per spiritum. Sicut autem hic imperfectus est, sic iterum, si quis tollat imaginem, & spernat plasma, jam non hominem intelligere potest, sed & partem aliquam hominis, quemadmodum prædiximus, vel aliud aliquid præter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis, & pars hominis. Neque enim & anima ipsa secundum se homo, sed anima hominis, & pars hominis. Neque spiritus homo: spiritus enim, & non homo vocatur. Commixtio autem & unitio horum omnium, perfectum hominem efficit. Et propter hoc Apostolus seipsum exponens, explanauit perfectum, & spiritualem salutem hominis, in prima ad Thessalonicenses dicens; Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, ut integer vester spiritus, & anima & corpus, sine querela in aduentum Domini Jesu Christi seruetur. Et

quam

quam utique cauſſam habebat, his tribus, id eſt, animæ & corpori & ſpiritui integram & perfectam perſeuerationem precari in aduentu Domini, niſi redintegrationem & adunitionem trium unam & eandem ipſorum ſciebat ſalutem? Propter quod & perfectos ait eos, qui tria ſine querela exhibent Domino. Perfecti igitur, qui & Spiritum in ſe perſeuerantem habent Dei, & animas & corpora ſine querela ſeruauerunt, id eſt, illam, quæ ad Deum eſt, fidem ſeruantes, & eam, quæ ad proximum eſt, cuſtodientes. Bene in hæc verba GALLASIUS: *Cum Spiritus hic commixtus animæ unitur plasmati propter effuſionem Spiritus &c. haud dubie intelligit charismata illa ſpiritualia, quæ effunduntur in animas, & piis hominibus communicantur. Ac ne tres in homine ſpirituali partes ipſum ſtatuere putemus, commemorandum eſt id, quod dixit initio capitis. Anima & ſpiritus pars hominis eſſe poſſunt, homo autem nequaquam. Ita conjungit Spiritum animæ, non ut duas partes, ſed unam tantum efficiat. Nam animam imperfectam eſſe docet, quamdiu non eſt particeps Spiritus Dei. Ac propterea dicitur a Paulo homo animalis, qui remanet in naturæ corruptæ meta, ut differat a ſpirituali, in quo imago Dei, prius deleta, Spiritu Dei renouatur.* Quocirca ſanctiorem meditationem merentur dicta 1. Cor. II, 14. & Judæ v. 19 ubi impii vocantur *animales, non habentes Spiritum.* Conf. Jac. III, 15. BROCHMANDUS hic commentatur: *Sapientia animalis eſt, quam homo conſequitur vi ac virtute, ac induſtria animæ, ſibi relictæ, nec a diuina gratia ſingulariter adjutæ: alias vocata ſapientia hujus ſeculi, & principum hujus ſeculi, qui pereunt. 1. Cor. II, 6. Talem autem eſſe ſapientiam, quam jactant alienorum dictorum & factorum moroſi cenſores, probatu facillimum eſt.*

OBJECTIO II.

Non posse fieri, ut partes Legis omnes seruentur; præsertim prima & ultima: nec Spiritus dominium legi satisfacere; semper autem remanere peccatum & concupiscentiam.

RESPONS. AD I.

DUbium nullum superfuerit, quin omnino omnes Legis partes absolutione illa perfectissima expleantur, quæ in Christi justitia, vero spiritu credentibus *a Deo imputata*, consistit: quam propterea recte nominari Perfectionem Graduum Euangelicam, monuimus modo. Consulatur ad hæc venerabilis ac meritissimi SPENERI, tam de isto locutionis usu, quam de toto perfectionis argumento, *Præfatio* in B. KOEPKENII Dialog. de *Tribus Sanctorum gradibus*. Quum vero dudum probatum sit, nobis de Perfectione Partium *inhæsiua* disceptantibus, a consideranda omni graduum perfectione, & Legali & Euangelica, discedendum esse, & subsistendum in solis partibus, quæ indolem ipsius legis intra nos in integrum restituant, tanquam principalibus in regenerationis negotio Euangelico, ac reliquarum omnium *accidentalium* seu *gradualium* radicibus; exinde litem hic præcisam arbitramur, quandoquidem hactenus abunde satisfactum illi quæstioni est, quomodo omnia & singula præcepta ipso fidei & charitatis spiritu præstentur. Nisi enim, agentes de partibus,

tibus, veram integritatem apud animum vero in fundamento constituentibus, *saltum & confusionem* euitauerimus oppositam ; nec Scripturæ *dicta*, nec *res* ipsæ necessaria distinctione exponi poterunt. Exemplum hujusmodi suppeditat controuersia, ad quam *Pontificii*, doctrina de Perfectione abutentes, protrahunt sanctas litteras, quibus aliqui seruasse mandata perhibentur. Rectissime respondet iis SCHERZERUS p. 759. *Quoad essentiam, non quoad complementum* (NB. *alias ita efferunt, quoad SVBSTANTIAM ACTVS, non gradum perfectionis*) *quoad qualitatem sinceritatis, non quoad quantitatem, vel intensionis, vel extensionis* ad quosuis actus seu adjuncta actuum. Notamus ; ibi qualitatem sinceritatis, essentiam, substantiam actûs (nempe *ex viribus collatis*) nihil aliud dici, quam quod perfectionem partium appellamus : quam si negare maluisset Auctor, qualibet alia responsione veritati haud respondisset.

Ex quo porro dijudicatur facile, quam frustra sint, qui non dubitarint negare, quod Spiritus Christi in Fidelibus *omnem Legis partem faciat*, seu *impletionem legis quoad substantiam ;* objectantes illa ex *Apologia* Aug. Conf. p. 91. *Quid opus est longa disputatione ? Tota Scriptura, tota Ecclesia clamat, LEGI NON SATISFIERI. Non igitur placet ipsa inchoata legis impletio propter se ipsam, sed propter fidem in Christum. Alioqui lex semper accusat nos. Quis enim satis diligit, aut satis timet Deum? quis satis patienter sustinet afflictiones a Deo impositas? Quis non sæpe dubitat, utrum Dei consilio, an casu regantur res humanæ? Quis non sæpe dubitat, utrum a Deo exaudiatur ? Quis non sæpe stomachatur, quod impii fortuna meliore utuntur, quam pii ; quod pii ab impiis opprimuntur? Quis satisfacit vocationi suæ, quis diligit proximum sicut se ipsum? Quis non irritatur a concupiscentia? Ideo Paulus inquit : Non, quod volo*

 bonum,

bonum, hoc facio, sed, quod nolo, malum. Item: Mente seruio legi Dei, carne autem seruio legi peccati. His aperte prædicat, se legi peccati seruire. Et Dauid ait: Non intres in judicium tuum cum seruo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hic etiam seruus Dei deprecatur judicium. Item: Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Semper igitur in hac infirmitate nostra adest peccatum, quod imputari poterat. De quo paulo post inquit: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Hic ostendit, sanctos etiam oportere petere remissionem peccatorum. Nam quis est, qui non videat, nihil hîc contra *perfectionem partium*, sed tantum dici omnia contra *perfectionem graduum inhæsiuam*, qua legi satisfiat? id quod ipsa *Thesis* præfixa, his speciminibus declarata, luculenter præfert. Agitur de sanctis, quibus sane adhuc cum tentationibus conflictandum est. Hinc quoque non *absolute*, sed ita: *Quis SATIS diligit Deum? Quis non SAEPE dubitat?* Neque alio sensu tribuendum iis, quod sequitur: *quis diligit proximum, sicut se ipsum?* qualis enim dilectio *Dei*, talis & *proximi.* Hanc plane mentem illorum esse, docent etiam uno ductu sequentia: *Plusquam coeci sunt, qui malos affectus in carne non sentiunt esse peccata; de quibus Paulus dicit: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem; caro diffidit Deo, confidit rebus præsentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, dubitat de Dei misericordia &c. Cum talibus affectibus LUCTATUR SPIRITUS SANCTUS IN CORDIBUS, ut eos reprimat, ac mortificet, & inserat nouos spirituales motus.* Ergo de iis sermo est, in quibus Spiritus Sanctus habitat ac dominatur juxta legem uniuersam; in quibus quum unà sint peccati reliquiæ, actusque & gradus imperfecti, propter hos noua integritas non judicanda est mutila. Et quomodo mutilata sit ipsa ex carnis infirmita-

mitatibus, dum ex tota lege militat, carnem legi seruientem cohibet, frenat, subigit, ne mens ab ulla præceptione in captiuitatem pertrahatur? Quapropter nihil prope vel inconsideratius, vel malitiosius fieri potest, quam si Scripturarum sanctissimarum,& Ecclesiasticorumscriptorum ejusmodi loca, quæ Fideles de carnis sensu imperfectos arguunt, obuertuntur aliis, quæ perfectos eosdem ob Spiritus veritatem (πίστιν ἀνυπόκριτον 1. Tim. I, 5.) prædicant. *Opponuntur* sic minime opponenda. Quod quidem glaucoma ob oculos imperitorum facillime objicitur; sed nos perhorrescamus illud: *Maledictus, qui errare facit cœcum in via: dicetque omnis populus; Amen.* Deut. XXVII, 18.

Nec longius ab ineptiis aut dolo abest, quod vulgo jactitatur: esse neminem, qui præcepta omnia obseruarit sine intermissione, nec iis quandoque exciderit. Namque id alienum est ab hac quæstione, ubi non disquiritur, an perfectio partium continua per totam vitam, & nunquam interrupta esse queat; quæ res alia tractatione indiget, neque hanc ferit, præfinitam restricte ita, ut de ipsa integritate Stantium, congruatne cum omnibus præceptis, non vero, quamdiu perseueret, judicandum sit. Est magis idoneum, de quo quæratur; quomodo accipienda sint Apostoli verba 1. Cor. XIII, 9. 12. *Ex parte cognoscimus:* & quod inde produxit, Augustinum sequens, *Magister sententiarum* LOMBARDUS 3. sentent. distinct. 27. *ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus.* Neque hic quidem *PARS* significat partem Legis *substantialem*, sed imperfectam cognitionem mysteriorum Dei, quam sequitur dilectio, *gradibus* imperfecta. Similiter Auctores, veteres ac recentiores, non raro loquuntur, *legem non ex omni parte compleri:* sed eos hac locutione non nisi omni-

bus numeris absolutam negare perfectionem, & *partem* pro *gradu* accipere, docet res ipsa, & GERHARDUS, de Lege Dei, ostendit hisce: *Obedientia licet RIGORI LEGIS non OMNI EX PARTE SATISFACIAT, tamen placet Deo, quia ex fide, & a dilectis filiis proficiscitur, ac, si quid vel imperfecte vel minus fit, propter Christum ipsis condonatur.* Quod si docentium aliqui partes quasdam, quæ non impleantur, gradibus opposuerint, cogitantes de minus principalibus, vel *circumstantiis*, quæ & ipsæ ad eos certo modo pertinent; atque inde si unus, vel alter ex Scriptoribus, negarit perfecti onem partium: hi certe immemores fuerint doctrinæ intimæ, quæ causæ hujus fundamentum est, de natura tum *regenerationis*, tum *perfectionis integralis*, tum *pacti Euangelici.* BALDUINUS perfectioni non nimium defert, nec tamen ipsam *integralem* negat. *Etiamsi*, inquit in 2. Cor. VII, part. 1. Aphor. *perfectionem solidam in hac vita nunquam attingemus, ad eam tamen contendere oportet: ideo jubemur περιπατεῖν, ambulare in nouitate vitæ, Rom. VI, & esse perfecti, Matth. V, 48. Intelligitur autem perfectio non essentialis, quæ secundum omnia requisita exacte congruit ad regulam legis diuinæ, qualis fuit in homine ante lapsum;* (hic ad *essentialem perfectionem* ipsi etiam gradus referuntur, quo sensu neganda illa omnino est de Fidelibus post lapsum: aliàs *Toti essentiali* sufficit, quod necessarium est ad *dandum esse* rei, ut loquuntur; atque ita perfectionem partium, tanquam essentialem quoque, considerauimus supra c. l, §. IV, 4.) *sed integralis, qua quis secundum OMNIA mandata Dei facit, quantum per Spiritum Dei in hac infirmitate potest. Et hic in primis aut secundis subsistere non licet, sed progrediendum est quotidie; nam in viis Domini non progredi, est regredi.*

AD II.

AD II.

PRIMA Legis pars, præcepto Decalogi primo maxime expreſſa, & *negatiue* a Moſe, & *affirmatiue* a Chriſto propoſita eſt ita, ut intenſius quidquam excogitari non videatur poſſe. Contra non exiſtimandum, in Scriptura Sacra de Stantibus Renatis ejusmodi quid minime efferri, aut minus proprie ſeu vere id uſurpari. Teſtatur ipſe Spiritus Sanctus de Dauide 1. Reg. XIV, 8. *hunc ſeruaſſe mandata Dei, & ambulaſſe poſt Deum in TOTO CORDE ſuo, ad faciendum tantum rectum in oculis Dei.* cap. XV, 3. *Dauidis cor fuiſſe PERFECTVM CVM JEHOVA Deo ſuo.* 2. Chron. XXXI, 21. *Jechiskiam feciſſe bonum & rectum, & veritatem coram Deo; & in omni opere, quærendo Deum ſuum, fecisſe in TOTO CORDE ſuo.* 2. Reg. XXIII, 25. *Joſiam reuerſum ad Jehouam, in TOTO CORDE ſuo, & in TOTA ANIMA ſua, & in TOTIS VIRIBVS ſuis, juxta TOTAM legem Moſis.* Dauid de ſe ipſo ad Deum dicit Pſ. CXIX. *In TOTO corde meo quæſiui Te. v. 10. precatus ſum facies Tuas in TOTO corde. v. 58. ego in TOTO corde ſeruo mandata tua.* v. 69. *clamaui in TOTO corde; reſponde mihi, JEHOVAH: ut ſtatuta tua cuſtodiam. v. 145.* In Nouo etiam Teſtamento Act. VIII, 37. Philippus ipſo de conuerſionis negotio reſpondet, Eunuchum non aliter baptizandum, niſi *crediderit TOTO CORDE*: hujusque conditionis teſtimonium Eunuchus accepit internum, ut Philippo ablato proficiſceretur *LAETVS*. v. 39. Quibus effatis atque exemplis ut nolumus pro argumento ad ſtatuendam *graduum perfectionem* uti, ſic tamen negari nequit, integritatem primi præcepti, quæ *abſolute* capi non poteſt, accommodate, ad vires Spiritus Sancti receptas, ſignificari veriſſimam.

Quod ut eo plenius & diſtinctius intelligi poſſit, quoniam

niam mandati primi indoles ſine ultimo non perſpicitur, confeſtim progredimur unà.

AD III.

DE parte *VLTIMA* Legis ſeruanda. Atque hîc circa utrumque & omnia Decalogi præcepta, maximam hæſitationis anſam ſuſtulimus, quando ſupra ex *Auguſtino* p. 61. 62. obſeruatum eſt, ad perfectionem partium non requiri, ut *BONUM* circa ſingula *PERFECTUM* ſit, verum, ut *BONVM* circa ſingula *VERE FIAT:* illud enim eſſet perfectionis graduum; hoc autem partium perfectionem ſiſtit integram, ſi nullum eſt præceptorum, juxta quod homo non præſtet ſeu faciat bonum vero cum effectu. Aut enim nihil eſt diſcriminis inter hæc duo, *facere bonum & bonum perficere*; aut, ſi differentia *omnino* eſt magna, juxta eam quoque utraque perfectio cenſenda fuerit. Si quis putarit, ita non de partibus, ſed de ſolis gradibus dicendam perfectionem; diuerſum reputandum offerimus *reſpectum*, quod perfectio partium non ſit, cujus unaquæque pars etiam perfecta reperiatur; id quod ipsam efficeret graduum perfectionem: ſed, cui nullius partis, ſeu præcepti, vera indoles deſit, ita, ut noua ſpiritus integritas toti reſpondeat mandatorum *ſyſtemati*, ut cum Muſicis loquar, conſenſumque legis & quaſi concentum referat, æquabiliter, ſi nondum æqualiter, inchoatum. Conſulendus hanc in rem B. Lutheri *Tractatus* de *Bonis Operibus*, qui depingit miris modis, qua ratione fides per charitatem, tanquam *inſtrumentum*, (conf. ejusdem Comment. in Epiſt. ad Galat. c. V.) omnes legis partes animet, hæque exinde inſtar *ANNVLI* ſe habeant, quarum alia aliam ſic contingat, ipso fidei & charitatis influxu, ut omnes

mnes ſingulæqne expleantur. Quod ſane opus in primo & ultimo præcepto euidentiſſimum eſt: illius charitas hujus implet deſiderium, exſtinguens cupiditatem; atque hujus prohibitio ſolicitat eam magis magisque, ipſosque gradus elicit.

Jam vero quis, obſecro, auſit negare, quod præceptum primum a Stantibus ſic veriſſime ſeruetur, ac ſeruari poſſit? Ex ore Chriſti S. *Johannes* ubique tradit certiſſimum Regenerationis ſignum, charitatem; quam *Paulus* docet mandati finem eſſe, & dari in hac vita *ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta*, atque *effundi in cordibus per Spiritum Sanctum:* 1. Tim. I, 5. Rom. V, 5. *Petrus* ex *natura*, ſeu indole *diuina*, penes Renatos deriuat, cum omni virtute, *largiter augendam.* ep. I. c. 1. Idem hic poſt *Conuerſionem* ſuam ter a Chriſto interrogatus de charitate, etſi de gradibus nil profiteri audebat, ipsam tamen, conſtanter respondebat, apud ſe inueniri veram; nec ideo a Chriſto, cujus omniſcientiam appellat, reprehenditur. Joh. XXI, 15. Si quis autem animum induxerit, affectionem iſthanc in Fidelibus primo præcepto haud vere conformem exiſtere; is uniuerſo opponit ſe Euangelio, ut ſupra p. 65. &c. commonſtramus, fontemque omnium Spiritus ſtuctuum verarumque virtutum obſtruit. Joh. XIV, 21. 23, 24. Neque enim Chriſtum & Deum congruenter amat, niſi qui ſuauitate Domini intime perfuſus, omnium rerum deſpicientiam perſentiſcit; qua ſola via ut mandati primi habetur mens, ita Chriſtiani officii omnis fortitudo aperitur.

Sin de ſummo præcepto nihil dubii ſupereſſe potuerit, quid ſcrupuli de ultimo reſtet? niſi forte hoc propter negationem additam ſupremum viſum fuerit. At legis

circulus in ſeruando ſemper recurrit ad initium, quo nempe fidei ac charitatis ardente ſpiritu, ipſa concupiſcentia, veluti mors, ad victoriam abſorbetur. Quin neceſſe eſt, cum reliquis omnibus decimum quoque in primo expediatur, ſi tota lex præceptum eſt unum. Rom. XIII, 9, 10. Gal. V, 14. RUFFINUS Aquileienſis in Pſal. II. *Quia non PRAECEPTA, ſed PRAECEPTUM dicit*, Joh. XII, 49, 50. XIII, 34. *fortaſſis charitatem nobis innuit, in qua cuncta præcepta finiuntur: & quam ſi quis impleuerit, cetera ab ipſo implebuntur. Hoc præceptum nobis quotidie Chriſtus prædicat, hoc præcepto a terris ad coeleſtia ſubleuat: & quicquid per alia præcepta dicit, mittere nos ad hoc UNUM præceptum ſemper intendit. Quod quidem duplex eſt mandatum: nam IN DILECTIONE DEI EST DILECTIO PROXIMI. Et ſcriptum eſt, quia in his duobus mandatis pendet Lex & Prophetæ. Quicquid ergo Lex, quicquid Prophetia, quicquid Euangelium, quicquid ſermo Apoſtolicus prædicat: OMNIA UNUM PRAECEPTVM, id eſt, charitas una conſummat.* Conf. ſupra p. 26, 27, 28, 29, 30. 35. 38, 39, 40, 41. 43, 44, 45. Tam prolixe eſt demonſtratum, quomodo pars Legis etiam illa, *Non concupiſces*, apud Regenitos impleta ſit; neque in iis perfectionem partium completam eſſe neget, verum alteram ſolum, quæ gradum eſt.

Videamus autem, quid pugnare adhuc contra poſſit. Omne contradicendi momentum vertetur in eo, quod decimum mandatum a ceteris tantopere diſcrepet, ut, quum hæc aduerſus actus peccandi ipſos poſita ſint, illud contra intimum propenſionis malum, quod in Fidelibus ſaltem inſidens manet, tendat, nec, niſi iſto funditus ſublato & exſtirpato, præſtetur. Ne ſuperuacaneum hic laborem innouemus ad reſpondendum, tria præbemus recogno-

cognoſcenda ex ſuperioribus. (1) differentiam decimi præcepti non eo extendi poſſe, ut apud regenitos durantes in ſeruando haud concilietur; quum ſpiritus Chriſti, ipſis collatus, defectum non modo compenſet, verum etiam decimum præceptum ſic impleat, ut ſine eo nullum reliquorum exerceri poſſit. vid. p. 32, 33, 34, 35, 36, 37. 41, 42, 43, 44, 45. 48, 49, 50. 58. 59. 61. 81. (2) præcepti decimi *objectum adæquatum* non eſſe litteram illam *negatiuam*, ſed tantum *ſecundarium*; *primarium* autem conſiſtere in Spiritu Euangelii reſtituto, qui & illi reſpondeat. p. 25, 26, 27. 30. 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38. &c. 44, 45. 49, 50. 57, 58, 59. 61, 62. 71, 72. (3) hinc contra Scripturam ac veritatem dici; quod præceptum decimum non præſtetur, quamdiu concupiſcentiæ radix ſupereſt. p. 26. 33. 37. 44, 45. 50. 52, 53. 58, 59, 60. 62. 65. &c. 72. Quibus ſat contectis, argumentum primum ſic diluimus: Si mandatum ultimum, præter actus vitioſos & prauum conſenſum, ipſa concupiſcentia interdicit; & vero hæc in vere conuerſis non *mortificata* eſt, nec ipſi contra eandem muniti ſunt ſpiritu dominante, concupiſcente rectius: ex eo efficeretur demum, poſtremam legis partem ab iis non ſeruari. E contrario cum allegatis ceteris conſiderandum, quod Rom. VI. VIII. &c. ſcriptum eſt, præſertim illud Rom. VIII, 10. *Si Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus autem vita propter juſtitiam.* unde infertur, ipſos non amplius *debitores carni* eſſe. v. 12. Deinde, ut amplius intelligatur, quomodo præceptorum differentia non ita accipienda ſit, quaſi praua inclinatio eadem non vetita in ultimis, & priora inde facilioris fuerint obſequii: animaduertimus, quemadmodum eo nexu partes Decalogi pollent, ut una charitas mandetur, ita & unam eandemque amandari undique concupiſcentiam;

quæ quidem propter varia *objecta* reputari diuerſe, & propter hominis ſocordiam augeri poteſt. *Paulum*, abſolute dicentem, *Non concupisces*, unà cum *Chriſto* & *Jacobo*, verum hunc legis uſum docere; optime commonſtrat ſæpe laudatus *Chemnitius*, ex Matth. V. Rom. VI, 12. VII, 22, 23. Gal. V, 16. &c. Jacob. I, 14. *Loco Theol. de Lege, nono & decimo præcepto.* Cum quo licet ſtatuerimus, in reliquis, ſecundæ tabulæ interdictionibus, accuſari ſignificantius *illos affectus, ad quos conſenſus accedit;* in ultimis duobus, *primos motus*, & intimam omnis mali appetitionem, expreſſius: tamen non ſequitur, eosdem nullatenus prohiberi in prioribus: imo ſciendum, horum enunciata ſuppleri ipſis poſtremis in *VNA* Lege, utpote quæ de uno ſpiritu ac de una carne agit. Quo ſpectat *Synecdoche*, ſecundum quam non ſumenda una modo *ſpecies* expreſſa, ſed omnia bona ſeu mala, ejusdem generis intelligenda ſunt, maximeque fons & origo omnium. Neque aliam ob cauſſam & *generalius*, ſeu *collectiue*, Scriptura loquitur: *Delector lege Dei, juxta interiorem hominem; video autem aliam legem in membris. &c. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. &c.* Rom. VII, 22, 23. Gal. V, 17. Non igitur ſentiendum: quamuis ſeruentur alia, ubi conſenſus non acceſſerit; ultimum tamen, etiam conſenſu omni excluſo, non fieri. Valeret quidem hujusmodi conſequentia, ſi Lex, ut *injuſtis poſita* primum eſt ſub forma accuſante & condemnante, ita eosdem non mutatos reſpiceret, quoad proponitur implenda: tales enim recte dicerentur obedire, tanquam homines non *ſpirituales*, legi non *ſpiritualiter* ſpectatæ, in iis, circa quæ conſenſum refrenarent; *poſito*, id fieri poſſe; & non obedire juxta mandatum ultimum, non abſtinentes a prima procliuitate. Quando autem Lex *ſpiritualis* eſt, Rom. VII, 14. homi-

nes

nesque ſpiritu poenitentiæ ac fidei redduntur *ſpirituales*, Rom. VIII, 5. 1. Cor. II, 12, 13. 15, 16. Gal. VI, 1. non modo ſecundum reliqua, ſed ante omnia eo pacto, ut in charitate *RADICENTUR* ac *FUNDENTVR* ad implendum poſtremum, tanquam ipſius Legis fundum; Eph. III, 18. Col. II, 7. ſine quo fundamento contra præceptum nullum conſenſus vere cohiberi poteſt: tenendum equidem, ultimo non ſeruato, ne ullum quidem usquam ſeruari; attamen vere ſeruari illud, non ſolum, quod apud ſanctos voluntas cupiditatibus ſurgentibus haud conſentiat, ſed apprime ex eo, quod *concupiſcentia recti ſpiritus* conſeruetur *dominans ac firma*, neque iis cedat. quod ipſum reuera eſt, *non conſentire*. Atque ita fit uno prorſus modo in uniuerſis, ut conſenſus non præbeatur, radice iſta ſpiritus recti manente, inexhauſta. Nam *dominium*, quod dicitur, ſemper ex alterutra parte unum eſt, quo vel peccatum, vel ſtabilita lex imperat: *dominium ſpiritus*, *vel carnis*. Eo in renatis ſuperſtite, ſaluæ ſunt legis *partes*, nec cupiditatibus, quatenus has ſpiritus *crucifigit* ac *mortificat*, franguntur; tum ipſa pars ultima eſt, quæ ſuſtentat roboratque omnes & ſingulas: quam eatenus non ſeruari, quis ſine aperta veri offenſione dixerit? Si quis interea ſcrupuli ſit tenacior, quærens: cur vero tam clarum discrimen fuerit, inter ultima & antecedentia, ut hæc ipſos *actus*, illa concupiſcentiam & propenſionem prohibeant? reſponſio, eprioribus ſuccurrens, ſufficit. Error eſt in *differentiæ reſpectu* dirigendo, qui ad Fideles contra, ac oportet, refertur. Deus aliter ad regenitum, aliter ad irregenitum dicit, *Non concupiſces*: hunc *concupiſcentiæ dominantis* arguit, qua perſeuerante opera omnia, etiamſi conſenſus interdum non videatur accedere, ſint *mortis fructus*; Rom. VII, 5. illum non

ita intuetur, sed quum is verbum idem, *non concupiſces*, contrario fidei & charitatis ſpiritu impleat dudum, paterne quidem ipſum commonefacit, ne cupiditates, quibus tenetur adhuc, porro eneruare unquam negligat, aut immemor fiat, tum *redemtionis*, cujus ſolius gratia earum & violentiæ & reatui obſiſtat, tum *imperfectionis graduum*, qua non agnita ſemetipſum deceperit. 1. Joh. I, 7, 8. Itaque non omnino nullus discriminis præceptorum eſt uſus apud Stantes, quando littera, de cogitationum interiore malo, deterret, ne quis ratione actuum ſe putet legi *ſatisfacere*; utpote cui mentis inflationi reſpectus *graduum* obſtat, aſſiduis defectibus obnoxiorum: Jacob. III, 2. nulla autem differentia mandatorum in eo ſtatuenda eſt, quaſi in ſeruando etiam ipſæ *partes* Legis diuulſæ haberi poſſint; quarum potius una in omnibus veris actibus exiſtit vita, ſeu radix *ſpiritualis*, noua ipſa indoles, optima *quæque* concupiſcens. Conf. ſupr. p. 33, 34, 35.

Iterum naſcitur hæc ratiocinatio: Quodcunque præceptum conſiſtit totum in tollenda concupiſcentia originali, atqui hanc in ipſis regenitis adhuc ſemper actuoſe habitantem inuenit, illud ab iis non ſeruatur. At nos vero (1) de *Antecedentis* priore membro jam monuimus, tantum abeſſe, ut totum X. præcepti argumentum ſit labes corrupti appetitus, ut etiam littera iſta *negatiua inferior* tantum ejus pars ſit, propter naturam infirmatam adhibita; & altera pars *ſuperior* inferiorem ſimul ſarciat, ea nimirum ipſa, quæ ex fide apud nos inſtauratur, *induitio noui hominis* dicta. Propterea CHEMNITIUS primam interpretandæ Legis regulam ponit; *in ſingulis præceptis latere antitheſin, ut, quando expreſſa negatione aliquid prohibetur, contraria affirmatio ſubintelligi debeat.* vid. ſupr. Nota

p. 37.

p. 37. (2) Nec alterum antecedentis membrum valere ad inferendam conſecutionem, docet natura ipſius ſtatus gratiæ. Licet enim reſidens in Fidelibus peccati ſenſus actuoſus ſit usquequaque, tamen afficit modo eos, nec conficit; premit; non opprimit. Atque ideo prohibitum *concupiſcentiæ originalis* malum non exhaurit præceptionem decimam, quod hæc maxime tendit ad oppoſitum *juſtitiæ originalis* ſpiritum; in cujus, per fidem recuperatæ, *dominio poſitivo* acquieſcit, modo inchoato, non minus hoc ultimum, quam præcepta cetera. Dum igitur Spiritus fidei victoriam retinet, nec ceſſat gratia; ſeruatur ſane illud conſtanter: niſi enim ſeruaretur, excideret homo ſpiritu recto & tota lege. Huic autem, concupiſcentiam vincenti, *donum* adhuc *perfectum* eſt, & ipſe *effector operis*, atque in hoc opere ſuo *beatus*. Iac. I, 12-17. 22. 25. Non ergo concupiſcentia in Stantibus partem legis ullam diruit, ſed modo impedit perfectionem gradibus conſumandam: de qua non eſt quæſtio.

Hæc vero ne tantopere confundatur cum inchoata, conſtante omnibus veris partibus; tertio diſpiciamus utramque penitus in radice damni ſuperſtite. Quod gratia peccatum ſuperet, hoc negotium videri poteſt ad ipſos pertinere actus ſolummodo, nec tam decimi eſſe, quam noni præcepti. Ergone autem lux videbitur occupare usquam locum, ubi non caliginem profliget? aut lumen ſpirituale id non præſtabit, ut juxta Legem accenſum diſſiparit tenebras? Eſto victoria in certis actionibus ad nonum referenda: non erit talis, niſi ipſa ex decimo profecta ſit, cujus *ſpiritus* eſt, qui *actiones corporis mortificans*, vitam affert. Rom. VIII, 13. Exemplum ſuggerat *Nathanael*, in quo Chriſtus *dolum* ineſſe negat. Joh. I, 48. Hic quæro, an

nullum

nullum habuerit dolum aduerſus nonum, attamen aduerſus decimum? Nequaquam Dominus ſic capiendus. Audiamus interpretem Spiritus Chriſti *Dauidem* in ſupra adductiS verbis Pſal. XXXII, 2. *Non in Spiritu ejus dolus.* Spiritus hominis fraude carere nequit aliter, quam ut gratia utriusque mandati, exprimentis interiora, firmiter contra peccatum recepta ſit: quomodo enim dolus non adſit contra *nonum*, ubi juxta *decimum* non fundata ſit veritas; vel, ubi hæc non potiores vires, quam caro, exſerat? *Natus ex Deo*, an circa decimum præceptum æqua lance adhuc peccatum gratiamque habuerit? Cur vero hic idem non peccat in nonum, aut alia? nempe, quia *ſemen Dei in eo permanet* juxta decimum, & usque adeo quidem, ut eatenus nec *poſſit peccare ex Deo natus.* 1. Joh. III, 9. Jamne vides, cur apud *juſtificatum* dolus in ſpiritu non ſit; quodque ipſum decimum ante omnia ſeruetur, nec ejus *im*plendi integritas in poſtremum locum ſit rejicienda, nedum relinquenda in dubio, ſed omnis ſanctimoniæ initium exiſtat? Niſi enim *habitualis gratia* ſic radicetur, ut ſola imperans mentem poſſideat, peccatumque *habituale* omnni dominandi conſortio priuet, nullius mandati virtus emergere poteſt. Ipſe nouus ſanctæ charitatis inſtinctus, quo juxta decimum animus concitatur ad auertendum omne malum a proximo, is, inquit *Paulus*, ipſa *Legis impletio eſt.* Rom. XIII, 10. Tamenne igitur radix peccati ſuperſtes faciat, ut pars Legis ultima deficiat? Nullo modo. Vel, an homo, ſtans in gratia Dei, radicem ſpiritus & carnis æquali habebit & pari jure? Peccatum habet, aſt redactum in cineres: Gratiam habet, aſt viuentem atque ardentem. Reuiuiſcant malæ reliquiæ, v. c. propenſionis ad homicidium; gratia reſiſtens ita ſuperior eſſe poterit

ac

ac manere, ut renatus durans *teneat vitam æternam in se manentem*, quæ ipsa decimi præcepti summa est. 1. Joh. III, 15. Quapropter, si in nobis *vetus homo sic cum Christo crucifixus est, ut corpus peccati aboleatur, nec posthac seruiamus peccato;* hæc est partium legis omnium instauratarum perfectio, quæ a radice peccati in cineribus superstite non disrumpitur: ut autem isto in statu magis magisque illud aboleatur, ex eo incipit accessio graduum, contendens ad perfectionem absolutam.

AD IV. & V.

QUod inchoatum *Spiritus dominium legi non satisfaciat*, concedimus: sed, perperam inde oppositio petitur aderſus rem præsentem. Quum enim apud Theologos verbum, *satisfacere*, rigorem Legis summum exigat, sine quo Stantes in Lege & judicio Dei paterno *consistunt beati:* Ps. I, 1.5. hinc defectus satisfaciendi perfectionem quidem *in hæsiuam* graduum impedit; non vero eam, quæ ex partibus integra est, licet hæc in iis supremum apicem nondum ascendat. Ceterum, ne quid dubitationis superet, an ipsa fidei ac charitatis victoria partem Legis primam atque ultimam pro veritate satis impleat; sequentia addimus: (1) Scriptura de *dominio spirituali* loquitur *priuatiue*, ut in renatis peccatum dominari neget, ipsosue huic seruire, obsequi: Rom. VI, 6. 12. quo quidem respectu lex *complete* seruari non videtur, nisi intellexerimus, unde fiat, ut in iis haud regnet prauitas. id quod (2) Scriptura *positiue* acceptum refert *Gratiæ*, ad dominium perductæ. Rom. VI, 14. *PECCATUM VOBIS NON DOMINABITUR, NON ENIM SUB LEGE ESTIS, SED SUB GRATIA.* Apud Stantes igitur non tantum non dominatur Caro, sed contra dominatur

Spiritus; atque hic ipſe *cupiditatem* opprimens, regulæ & initium & finem *charitate* complet. Nec vero ullum eſt præceptorum, quod impleatur aliter, quam dominio Spiritus, intentatum carnis dominium reprimente, ac firmante gratiam: Rom. VI, 12, 13 ut eodem vel & decimum ſeruetur primùm omnium, vel omnino nullum. conf. ſup. p. 93. 96. (3) Gratia hæc Euangelii regnans efficit, ut *qui Chriſti ſunt, crucifixa carne*, interius & *viuant ſpiritu*, & *ſpiritu agantur*, & *ſpiritu quoque ambulent*. Gal. V, 16. 18. 24, 25. in quibus veritatem Legis, *inchoate* completam, quiuis agnoſcit. Neque id tantum; ſed etiam præſtat eadem, ut in hoc Spiritus curſu incedentes *JURE LEGIS COMPLETO* gaudeant. Rom. IIX, 4. nec peccatum, quo afficiuntur denuo, ipſis imputetur, *ſub lege* non exiſtentibus. Gal. V, 18. B. LUTHERUS ad illa, *Si autem ſpiritu ducimini, non eſtis ſub Lege;* in Comment. cap. V. ad Gal. *Quia jus ademtum eſt legi per Chriſtum, qui factus eſt ſub legem, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret: ideo hoc, quod vere peccatum eſt contra Legem, Lex pro peccato non poteſt accuſare in PIIS. TANTA eſt igitur POTENTIA DOMINII SPIRITUS, ut, quod vere peccatum eſt, tamen Lex non poſſit accuſare.* Hæc autem potentia dominii Spiritus, quam *juſtificati* in *CHRISTO* habent, *juſtificationem* ſic continuare non poſſet, niſi eadem in illis conſeruaret fidei victoriam, tanquam totius legis impletionem: ſimulac enim partem legis ullam vere non tenerent, ſub legem redigerentur, nec ſpiritum haberent dominantem. Conf. ſup. p. 34, 35. Eſſe igitur ſub Gratia dominante, & præceptum Decalogi ullum non ſeruare; hæc duo ex iis ſunt, quæ dicuntur *CONTRADICTORIA*. Quando ergo *nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*; Gratia operans & dominans, ſeu Spiritus dominium, eſt ipſa totius legis *veri-*

tas

tas inchoata. Quod nisi fuerit verisimum, Christus nunquam dixerit tanta *emphasi*, ὄντως, ipso *actu* & *statu* vero *liberos*, *& peccatum non facientes*, quos liberarit agnita ipsius veritas. Joh. IIX, 32. 34. 36. Neque aliter, quam ex isto spiritus præsidio, juxta primam & ultimam Legis partem, *charitas est VINCULUM PERFECTIONIS*, quod tam firma veritate animos communit, ut ipsa *PAX Dei*, concupiscentiæ opposita, *imperet in cordibus*, Col. III, 12,13. *mentemque omnem illa exsuperans*, *custodiat corda & sensus in Christo Jesu.* Phil. IV, 7. id quod præcipuum in Lege est. Itaque manet Pauli sententia: Gal. VI, 2. *PORTANTES* charitatis onus, spiritu dominante, sunt *IMPLENTES legem Christi.*

Denique, *semper remanere peccatum & concupiscentiam*, negandum minime, ut sæpe monuimus; quo minus vero hæc conditio integritati Legis partium obstare in sanctis videatur, porro considerandum bene, quod modus sit maxime diuersus in statu *iræ* & in *gratiæ* statu. Apud hominem, qui nondum ex vera poenitentia cum Deo unitus est, *affectus peccandi per ipsam Legem viget in membris*, *ad fructum ferendum morti;* non item in eo, qui per Christum *viuificatus* fuerit. Penes hunc enim concupiscentia *mortificata* reperitur, ut ipse, *ex mortuis cum Christo excitatus*, *fructum ferre Deo* secundum Legem uniuersam possit; & *liberatus a Lege* peccati, seu affectu carnis, (qui *eum* antea *detinebat*, *nunc* autem post justificationem succumbit *mortuus*) *seruiat in nouitate Spiritus*, quæ ad decimum præceptum pertinet, *ac non in vetustate litteræ*, sub qua peccatum erat efficax. Neque hîc ita præpostere agendum, ut ipsa Spiritus nouitate existimet indutum se, qui peccati efficaciam regnantem adhuc sentiat; quo in statu hunc talem non posse capere, qua ratione mandatum ultimum ve-

re fieri queat, haud mirandum: ſed cedat ille Auguſtino, juxta Scripturam, *intelligens, ſe nondum accepiſſe vires* neceſſarias, quæratque eas juſto ordine, & meditetur laudati Patris conſilium, quod communicamus ſup. p. 55, 56, 57. Exemplum idem ipſe optimum præbet ſuum, *Confeſſionum lib.* VIII. cap. XI. XII. cum enim in lucta carnis & ſpiritus diu impotens hæſiſſet, tandem experiebatur, *quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi ſuo, omnes dubitationis tenebras diffugiſſe*; & quidem ex eo Scripturarum dicto, quod victoriam in decimo præcepto monſtrat Rom. XIII, 14. *Induite Dominum Jeſum Chriſtum*, loco veteris hominis in omnibus facultatibus; ſic nempe fiet, ut *carnis pronitatem ne faciatis ad concupiſcentias*. Quod quomodo impletum in Auguſtino, & quantopere is dominatus ſit tum, atque exſultarit triumphans de ipſo illo concupiſcendi malo, quod diu viſum erat inſuperabile; initio lib. IX. c. I. confitetur: *Quam ſuaue mihi ſubito factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, Chriſte Jeſu, adjutor meus, & redemtor meus, vera tu & ſumma ſuauitas: ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luci clarior, ſed omni ſecreto interior; omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & ſaluti meæ, Domino Deo meo.* Conferatur CHEMNITIUS, de Viribus Humanis ſeu Libero Arbitrio cap. VII. commendans conuerſionis hujus Auguſtinianæ exemplum, & conquerens, plerosque non experiri veram cordis mutationem, atque hinc *de rebus ignotis multa inextricabilia colligere*. Eſt manetque res neceſſario inextricabilis, ſi quis, vana

de

de gratiæ ſtatu præſumtione captus, ſtatuat juxta ſenſum ſuum, propter carnem, concupiſcentiam & peccatum, partem legis poſtremam non poſſe fieri; & tamen audiat e Scripturis, Spiritum, charitatem, gratiam dominari in fidelibus, vitam in iis ſpiritualem efficacem, & præcepta ipſis facilia eſſe, ita, ut integri reddantur, ſtabiliantur, roborentur, fundentur. Idem, ſi ſibi ipſe conſentiat, quomodo judicare poterit, primum modo & ultimum excipi, quæ non ſeruentur; quum meminerit, eandem propenſionem ad malum, quæ aduerſatur decimo, aduerſus alia maxime adhærere ſibi, peccatumque idem ubiuis reſiduum facere, ut par omnium ratio haberi debeat? *quisquis namque totam legem ſeruauerit, lapſus vero fuerit in uno aliquo, factus eſt omnium reus.* Jacob. II, 10. At vero, ſi quis ipſe cum Auguſtino in regnum Dei per anguſtam portam ingreſſus fuerit, fruens *juſtitia, pace & gaudio in Spiritu S.* Rom. XIV, 17. hic non modo certamen Spiritus contra carnem, ſed etiam fidei victoriam expertus, ipſo uſu animaduertit, plurimum differre concupiſcentiæ *mortificatæ* reliquias ab ejusdem priſtino jugo, & nouum Spiritus dominium veram mandati decimi eſſe indolem, concupiſcentem meliora omnia. Poteſt quidem hic etiam dubitare, tentationibus præter voluntatem recrudeſcentibus, ſitne ſanitas *ſpiritualis* ſecundum Legem integra: mox tamen obſeruabit, non lacerari illam, ſed fidei exercitio manere victorem *Spiritum potentiæ, charitatis ac moderationis*; 2. Tim. I, 7. atque hinc gratiam, cujus *gradus* quouis peccati ſenſu aliquantum minuitur, facile confirmari. Conf. ſup. pag. 33. 35. 37. Neque ideo cum Tridentino Concilio Seſſ. V. ſentiendum, ac ſi *hæc concupiſcentia ab Apoſtolo non appelletur peccatum, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit.* Recte

Synodus illa dixerat; *concupiſcentiam AD AGONEM relictam eſſe, nec iis, qui non conſentiant, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnent, nocere; quin immo, qui LEGITIMÈ certauerint, CORONARI.* Unde poterat concludere, quod inſtaurata Legis indoles in talibus prauo affectu *inuoluntario* nusquam diuellatur, neque hujusmodi peccatum iis mortem *ſpiritualem actu* inferat, ſiue auferat omnem gratiam, nec etiam *peccatum conſummatum* ſit; Jac. I, 15. non autem, quod non verum ſit peccatum. quidni vero & hoc ſequatur? ratio, ſi requiratur, hæc eſt; quod illa gratiæ, & *juſtificantis & ſanctificantis*, permanſio neutiquam ex *peccati* iſtius, ſed *pacti Euangelici* natura oritur. Quicquid Legi haud congruit, *ἀνομία* & peccatum eſt ipſisſimum. Quando igitur in homine, perſeueranter renato, bina ſunt *agendi principia*, *ſpiritus* dominans, *caro* efficiens; illud ſecundum legem, hoc contra legem: affectiones carnis deprauatæ, tanquam peccata, non poſſunt virtutes, nec medium quiddam fieri. Cui malo tam felicem attulit medelam Pactum Euangelicum, ut ipſum id ſimul in bonum traduxerit. Nam ſpiritum regenerationis, hoc eſt, imaginem Dei in lapſis, vere ad Deum reuerſis, denuo accenſam, Euangelium ex merito Chriſti inſtruit eis viribus, ut ex impetrata fidei victoria ſolus ille in animo regnet, viuat, militetque ita aduerſus peccatum, ne hoc plene poſſit *concipere*, (*peccatum concipit, quando mens & voluntas in id conſentiunt, quod praua concupiſcentia faciendum ſuadet*: BROCHMAND. in Jac. I, 15.) nedum *parere:* interea carnis corruptela tam certe quidem peccatum eſt, ut *mors*, ejus effectus, etiam *dominetur* his, *qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami* conſummatæ; (ibid. ex Rom. V, 13.) ſed lues tam peſtilens juſſa eſt, filiis Dei victoribus,

Deum

Deum diligentibus, inseruire ad bonum persequendum, Rom. IIX, 28. ita omnino, ut malo stimulo hi tanto ardentius concitati, ad τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν decertandum, 2. Tim. IV, 7. *a Spiritu Christi ex gloria in gloriam transformentur*. 2. Cor. III, 18. Quamobrem caute ex Scriptura est reputandum, quod propterea renati nec *facere* peccatum, sed tantum *habere*, atque eatenus peccare dicantur. Adhibeamus hic HORNEIUM, qui *Disp. Theol.* part. II. p. 499. postquam accurate diuersissimam impiorum & sanctorum conditionem præmisit, ad objectionem ex Joh. I, 8. respondet; *aliud apud Johannem esse, peccatum habere, & aliud, peccatum facere.* „*Et habet adhuc illud*, inquit, in quo pronitas & procliuitas ad „peccandum nondum prorsus exstincta est: atque ita o„mnes sancti, dum in hac vita sunt, peccatum *habent*. Pec„catum autem *facit* is, qui peccato operam dat, & cupidita„tibus carnis suæ consentit & obsecundat. Id autem non „competit sanctis: nam *qui Christi sunt, carnem crucifixerunt* „*cum affectibus & cupiditatibus*. Gal. V, 24. Similiter carna„les adhuc sunt renati, & quod ad carnem attinet, venun„dati sub peccatum, quatenus carnis imbecillitatem ad„huc circumferunt, & cupiditates ejus ita exuere non „possunt, ut nullos ejus stimulos sentiant: carnales ta„men non sunt ita, ut quæ carnis sunt, sapiant, aut ope„ra ejus probent ac *peragant*. Unde *habitat* quidem *in iis* „*peccatum*, sed *non regnat in mortali eorum corpore*, *ut* auscul„*tent ei in cupiditatibus corporis*. Rom. VI, 12. *Belligerat* de„nique *lex illa membrorum* (carnis & affectuum ejus con„tumacia) *aduersus legem mentis* (pietatis & virtutis studi„um, quod est in eis,) & *captiuos reddit*, (reddere conatur, „quantum in ipsa est,) *eos peccato; sed Dei gratia facit in* „*Christo Jesu, ut id illis non noceat, nec damnabile sit, modo non*

secun-

„*ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent*, i. e. cupi-
„ditatibus illis non ſuccumbant, ſed *per Spiritum vitæ*, quem
„in Chriſto Jeſu acceperunt, eas ſuperent. Et ſic conſtat,
„unde facultas illa nouæ vitæ inſtituendæ in juſtificatis &
„renatis exiſtat. Quæro & obſecro: cur Johannes affir-
mat, in luce ambulantes peccatum habere; negat eosdem
peccatum facere? Nam, quid habeant, ex *naturæ* ſtatu;
quid committant, ex *voluntatis* propoſito, cenſendum eſt.
Jam vero, quamdiu filii Dei ſunt, *Spiritum Chriſti* non
modo *habent*, ſed ipſo etiam ſolo *aguntur, viuunt ac ducun-
tur*, nec quicquam deſtinant, niſi ex illo: Rom. IIX, 8. 14.
Gal. V, 18. 25. *Spiritu vero ambulantes concupiſcentiam carnis
nequaquam faciunt.* v. 16. Ergo faciunt adhuc legem, cujus
indolem nacti retinent, tuentur, ea veritate, ut, quo ma-
gis *motiones carnis* ſentiunt, eo minus decipiant ſe, ac ſi
peccata non eſſent, multoque acrius ab iis, *nullo modo*
faciendis, abhorreant; Rom. IIX, 13. *AMANTES* conſtan-
ter Deum, *ODERINT MALUM*, Pſal. CXVII, 10. *adhæreant-
que bono; nec vincantur a malo, ſed vincant malum per bonum.*
Rom. XII, 9. 21. Ita ſane, manente licet concupiſcentia &
peccato, ſunt manentque illi factores legis, nec redacti ſub
legem, perſtant in Lege, ἔννομοι Chriſto; 1. Cor. IX, 21. ut
omnium virtutum totiusque legis poſſeſſores, pauperes
ſpiritu, recte nominentur, ſemper *renouati mentis ſpiritu,
induentes nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in ju-
ſtitia & ſanctitate veritatis*. Eph. IV, 23, 24.

Ita nec ſtatus gratiæ cum peccati ſtatu, ut fieri ple-
rumque ſolet; nec præſentis vitæ ſpiritualis ratio inchoata,
cum gloria coeleſti confunditur: id quod *Staphylus* quidam
de CALVINO, talia differente, criminatus fuerat; cui
hic bene reſpondet *Inſtit.* l. III. c. III. minime illud fieri, *dum*

ima-

imaginem Dei ex Paulo interpretetur ſanctitatem & juſtitiam veracem. quaſi vero, ubi res aliqua definitur, non quærenda ſit ipſa INTEGRITAS *&* PERFECTIO. *neque tamen locum negari incrementis.* Similiter *Auguſtinus* Epiſt. XXIX. *Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis ſit* CHARITAS? *An, quanto magis eſt in homine, tanto magis eſt virtute præditus? quanto autem minus, tanto minus eſt virtus, quia ipſa eſt virtus: et quanto minus eſt virtus, tanto majus eſt vitium? Ubi ergo illa plena & perfecta eſt, nihil ex vitio remanebit. Proinde mihi videntur* STOICI *falli, quia* PROFICIENTEM HOMINEM IN SAPIENTIA NOLUNT OMNINO HABERE SAPIENTIAM, *ſed tunc habere, cum in ea omnino perfectus fuerit: non, quia illum profectum negant; ſed, niſi ex profundo quodam emergendo repente emicet in auras Sapientiæ liberas, nulla ex parte eſſe ſapientem. Sicut enim nihil intereſt ad hominem præfocandum, utrum aquam ſtadiis multis ſuper ſe habeat altam, aut unum palmum aut digitum: ſic illos, qui tendunt ad Sapientiam, proficere quidem dicunt, tanquam ab imo gurgite ſurgentes in aërem; ſed niſi totam ſtultitiam, velut opprimentem aquam, proficiendo velut emergendo euaſerint, non habere virtutem, nec eſſe ſapientes. Ubi autem euaſerint, mox habere totam, nec quicquam ſtultitiæ remanere, unde omnino ullum peccatum poſſit exiſtere. Hæc ſimilitudo, ubi ſtultitia velut aqua, & ſapientia velut aër ponitur, ut animus a præfocatione ſtultitiæ tanquam emergens in ſapientia repente reſpiret; non mihi videtur ſatis accommodata noſtrarum Scripturarum auctoritati. Sed illa potius, ut vitium vel ſtultitia tenebris, luci autem virtus & ſapientia comparetur; quantum iſta ſimilia de corporalibus ad intelligibilia duci poſſunt. Non itaque ſicut de aquis in aërem ſurgens, ubi earum ſummum tranſierit, repente quantum ſufficit inſpiratur; ſed, ſicut de tenebris in lucem procedens,*

paulatim progrediendo illuminatur. Quod donec plenissime fiat, jam eum tamen dicimus tanquam de abditissima spelunca egredientem, vicinia lucis afflatum, tanto magis, quanto magis propinquat egressui: ut illud, quod in eo lucet, sit utique ex lumine, quo progreditur; illud autem, quod adhuc obscurum est, sit ex tenebris, unde egreditur. Itaque & non justificabitur in conspectu Dei omnis viuens: & tamen justus ex fide viuit. Et induti sunt sancti justitia, alius majus, alius minus. Et nemo hic viuit sine peccato, & hoc alius magis, alius minus: optimus autem est, qui minimum. Nesciebant Stoici, veram sapientiam, veluti lucem, infundi in animos superne, ἄνωθεν. Iac. III, 17. Lux hæc *supernaturalis* quid aliud, quam ipsa Lex est; vel, si malis, anima Legis & vita? quæ ubi victoriam obtinuerit, quicquid residuum fuerit concupiscentiæ, aliquem demere *gradum* legis, *partem* non potest. *Expergefacto, & surgenti e mortuis*, non impedimento sunt noctis reliquiæ, *quin Christus ipsi illucescat.* Eph. V, 14. quæ primi & ultimi præcepti forma est. Nec caput serpentis propterea non totum conculcatum manet, quod læsio calcis insequitur; quam potius occasionem fieri ad potentiam majorem capessendam, Euangelium commonstrat. *Sicut fieri consueuit antidotum, etiam de serpentibus contra venena serpentum. Quid est ergo* 2. *Cor. XII. sufficit tibi gratia mea; nisi, ne deficiendo succumbas sub colopho angeli Satanæ? Et quid est: Virtus IN INFIRMITATE PERFICITUR; nisi, quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, ut, in ipsa infirmitate præsente elatio reprimatur? August. ad Bonif. lib. III. cap. VII.* Optime *Lutherus* in cap. V. ad Gal. *Sancti sumus sanctitate passiua, non actiua.* ignis diuinus, sanctitas: eædem partes Decalogi, quæ primo *gratiæ operantis* gradu implentur, (nec plures, aut pauciores, hoc est, omnes,) admittunt quoq; secundum, atque

que alios; vel eosdem amittunt. qui vero ardor non omnia præcepta vere occupat, *hypocriticus* est, nullus est. Utrumque ergo Spiritus Sancti enunciatum, quod in uno Johannis Epistolæ contextu habetur, consensu gaudet, immoto ac conspiratione inuicta: cap. I, 8. *Si DIXERIMUS, NOS PECCATUM NON HABERE; NOS IPSOS FALLIMUS, ET VERITAS IN NOBIS NON EST.* quo inhæsiua graduum perfectio de hac vita negatur. Et cap. II, 4. *QUI DICIT, NOVI DEUM, ET MANDATA EJUS NON SERVAT, MENDAX EST, ET IN EO VERITAS NON EST.* quo integra partium perfectio sanctis vindicatur. atque additur: *QUI AUTEM SERVAT SERMONEM EJUS, VERE IN HOC CHARITAS DEI ADIMPLETA EST: PER HOC SCIMUS, NOS IN IPSO ESSE.*

OBJECTIO III.

Abstinendum ab eo dicendi genere; quippe quod laboret æquiuocatione, & improprium sit.

RESPONS. AD I.

NOs vero testamur iterum iterumque, non de verbo nos, sed de re laborare. Ne rem perderemus, adhibita est loquendi ratio: quæ, tantum abest, ut *æquiuocationem* inferat, ut non aliam ob caussam, quam ad tollendam ex Ecclesia, & a perfectionis doctrina, ipsam *æquiuocationem*, introducta sit, atque etiam nunc usurpetur. Quum enim *Romanenses* mirum in modum abuterentur perfectionis vocabulo, petito e Scripturis sanctissimis; una ex parte *in rebus plane aliis, quam in quibus inueniri potest*, eam quærentes; qua de re tantopere conqueritur *Aug. Confess. Artic.* XVI. & Abus. VI. ejusdemque *Apologia* sæpius: ex

altera autem, fingentes talem, quæ Legi omnibus numeris satisfaceret: (cujus utriusque erroris periculum modo laudata *Speneriana Præfatio in de Templo Salom.* fusius exponit) non poterant salua conscientia Nostrates deserere Perfectionis veritatem, sed conabantur illam ambiguitate, qua temere illata errabant aduersarii, fideliter liberare; accommodantes ad id distinctionem, quam rerum natura aptissimam monstrabat, inter ea, quæ vel a partibus integrantibus, vel a gradibus altioribus, *perfecta* dicuntur. *conf.* supra Cap. I. §. III. Addimus insigne in hanc rem testimonium Wilhelmi NIGRINI, Tractatu de *Legis impletione, Rob. Bellarm. Gregorii de Valentia, Mart. Becani, Francisc. Costeri, aliorum Romanensium erroribus & strophis oppositio Wittenb. a. 1617. p. 680. Duplex datur perfectio, una dicitur inchoationis, vel ut aliis placet, perfectio partium; altera consummationis, seu perfectio graduum. Nostra sententia hæc est, quod, quemadmodum renouatio fidelium, in mortificatione carnis consistens, perfecta est, non saltem ratione Dei operantis & acceptantis, verum etiam quodammodo ratione subjecti, nimirum respectu inchoationis: ita & legis impletio, qua renatis in hac vita proficisci potest, perfecta queat nominari ratione inchoationis seu* PARTIUM, *non vero ratione consummationis seu graduum; qualem tamen perfectionem lex in rigore suo exigit. Romanensibus autem, qui contrarium tenent, & perfectione inchoationis non contenti, consummatam insuper seu completam legis perfectionem jactitant, incumbit, ut hypothesin hanc suam firmis argumentis demonstrent, priusquam ad textus Apostolicos eam applicent.* Deinde pag. 693. ad argumentum hoc: *Quicunque possunt esse perfecti, illi & perfecte possunt diligere, (caritas enim est vinculum perfectionis) & consequenter præcepto adimplendo satisfacere; At qui fideles possunt esse, imo di-*

cun-

cuntur perfecti in Scriptura; ergo possunt tam perfecte diligere, ut legi satisfaciant: Responsionis Augustinianæ sensum hunc auffert; *committi in argumento Fallaciam AEQUIVOCATIONIS. Perfectio enim*, pergit, *duplex est; alia absoluta, VULGO vocatur perfectio graduum, quæ summum illum obedientiæ gradum, quem lex requirit, integre præstat. Alia vero respectiua & conditionata. VULGO perfectio partium dicta, quæ est sincera illa fidelium secundum TOTAM legem obedientia summo conatu in hac vita inchoata, qua lex perfecte non adimpletur. &c.* En, cur Stantibus adjudicata sit perfectio partium! Hac ipsa scilicet appositione remouetur *æquiuocatio* a perfectione, quam fidelibus sacræ litteræ adscribunt.

Quid vero, si altera dictio, qua appellata eadem est *inchoata*, videatur sufficere? Videtur quidem; sed non sufficere eam vitandæ ambiguitati, vel experientia documento fuerit, cum malint facile nonnulli inchoatam dicere, quam dicere partium perfectionem. quam ob caussam, quæso? non, ob fugiendum sensum ambiguum, quem *locutio* hæc, apposito restricta vocabulo, alteri de gradibus eo distinctius opposita, multo magis amolitur; sed propterea, quod opinio de aliquibus præceptis excipientis, sub *inchoata* abscondi potest, neutiquam vero sub mentione *partium*, quarum perfectio mandatum nullum excluſum esse patitur. Atque hoc, inquam, momentum est grauissimum, cujus causſa iste loquendi modus non deserendus, quem a *Reformationis* tempore usque ad hunc diem Ecclesia Euangelica tenet prudentissime. Et quid denique superſit ambiguitatis in eo, qui contra *æquiuocationes* ipsas receptus est? Absoluta sub isto accipi non potest perfectio; quandoquidem non alius ejus usus, quam quod partes gradibus opponantur. Partes autem præcepta de-

notare, tam notum exiſtit, ut nec *Latine* aut *Germanice* exponantur illæ ſeu reddantur aliter, niſi de mandatis *decalogi.* Sin propter rudiores *æquiuocatio* formidatur; ne ulla quidem fuerit doctrinæ Chriſtianæ pars, de qua non idem metuendum, ſi vel nulla, vel praua, rerum ad ſalutem neceſſariarum, informatio animis ſit antecepta. Nihil *æquiuoci* in deſcriptione illa BALDUINI, cui ſuper 2. Cor. VII, 1. perfectio eſt partium ſeu *integralis, qua quis ſecundum OMNIA mandata Dei facit, quantum per Spiritum Dei in hac infirmitate poteſt.* Fundamentum vero hæc verba ponunt in *Spiritu Dei*, ſecundum præcepta omnia Fidelibus collato. Fatemur, idem ſignificari, quando *Apologia Auguſt. Confeſſ.* illud Jerem. XXXI, 33. *dabo legem meam in corda eorum:* ſæpisſime interpretatur de *impletione legis INCHOATA*; neque enim lex impletur ullo vere modo, niſi tota. Neque aliud dicunt reliqua de perfectione loca *in libris Symbolicis*, quorum præcipua ſunt: Aug. Conf. Art. XVI. *Euangelicam PERFECTIONEM collocandam eſſe in timore Dei & fide: quia Euangelium tradit juſtitiam æternam cordis.* Abus. 6. *PERFECTIONEM chriſtianam eſſe; ſerio timere Deum, & rurſus concipere magnam fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus Deum placatum; petere a Deo & certo exſpectare auxilium in omnibus rebus gerendis juxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & ſeruire vocationi. In his rebus VERAM eſſe PERFECTIONEM, & verum cultum Dei.* Apolog. de dilect. & Implet. Leg. p. 134. *In his rebus PERFECTIONEM Chriſtianam & ſpiritualem ponendam, ſi ſimul creſcant pœnitentia & fides in poenitentia.* Quod ipſis antecedentibus ſic declaratur: *Ideo regeneramur & Spiritum ſanctum accipimus, ut noua vita habeat noua opera, nouos affectus, timorem, dilectionem Dei,*

Dei, ODIUM CONCUPISCENTIAE &c. Hæc fides, de qua loquimur, existit in poenitentia; & inter bona opera, inter tentationes & pericula confirmari & crescere debet; ut subinde certius apud nos statuamus, quod Deus propter Christum respiciat nos, ignoscat nobis, exaudiat nos. Hæc non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit conscientia, quoties solicitat ad desperationem, cum ostendit, aut vetera peccata, aut noua, aut immundiciem naturæ? Hoc chirographum non deletur sine magno agone, ut testatur experientia, quam difficilis res sit fides. Et dum inter terrores erigimur, & consolationem concipimus, simul crescunt alii motus spirituales, notitia Dei, timor Dei, spes, dilectio Dei; & regeneramur, ut ait Paulus, ad agnitionem Dei. & intuentes gloriam Domini, transformamur in eandem imaginem, id est, concipimus VERAM notitiam Dei, ut VERE timeamus eum, VERE confidamus nos respici, nos exaudiri. Hæc regeneratio est quasi inchoatio æternæ vitæ, ut Paulus ait: si Christus in nobis est, spiritus viuit, corpus autem mortuum est &c. Et superinduemur, si tamen induti non nudi reperiemur. Ex his judicare candidus lector potest, nos maxime requirere bona opera, in quibus PERFECTIONEM ponimus.

Item de Vot. Monast. *Quia regnum Dei est justitia & vita in cordibus, ideo PERFECTIO est, crescere timorem Dei, fiduciam misericordiæ promissæ & curam obediendi vocationi; sicut & Paulus describit perfectionem, transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Quid pulchrius aut planius, quam cum ita *August. Confess. & Apologia* locis, quam plurimis perfectionem ponunt in officiis Christianis, & præcipue in *MOTIBUS CORDIS!* Namque *Apologia*, affirmans, iis *legem VERE fieri, inchoari in vobis, & subinde magis magisque fieri legem; & complectens simul utrumque, videlicet spirituales motus & externa bona opera;* p. 83, 84, 85. nullum excipit

cipit præceptum Decalogi, juxta quod lex fieri non possit: accusat illa potius Aduersarios, tanquam *suaues Theologos, tantum opera secundæ tabulæ externa intuentes*; docens, circa legem faciendam spectanda esse, *quæ sunt PROPRIE legis diuinæ, hoc est, affectus cordis erga Deum, qui præcipiuntur in prima tabula, nec posse fieri sine Spiritu Sancto: considerandam illam æternam legem, & longe positam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* p. 84. Enim vero, si hæc ipsa æterna Lex inchoatur, & in renatis *fieri potest, cum contigit Spiritus Sanctus*: ibid. & pariter sine omni dubio inchoantur etiam affectus, qui præceptis ultimis postulantur, *odium concupiscentiæ*, &c. ut eadem loquitur; certe sine ambiguitate dicitur idem, quod perfectio partium designat. Interim quando hæc noua obedientia appellatur *justitia inchoata*, factum astu Satanæ, iis omnibus quasi non scriptis, ut post *Reformationem Euangelicam*, abuterentur aliqui tum hostes, tum etiam ciues Ecclesiæ, optimo illo *epitheto*; præsertim quum aliquando satis recte additum sit, *INCHOATAM perfectionem procul abesse a perfectione, qua Legi possimus satisfacere:* quasi vero, quod a perfectione graduum procul abest, non possit constare partibus integris. Unde Majores tam illorum peruersis cauillationibus, quam desidiosis horum excusationibus obortis occurrebant, ex veritate rei commonentes; licet negarent, in perfectione *gradus* attingi, quibus Legi satisfieret, nequaquam se tamen negare integritatem *partium*. Ita ergo deleta *æquiuocatione*, tam liquidæ distinctionis usus, & communis & *VULGARIS*, sequebatur; de quo, tanquam *non recente*, sub initium *superioris seculi*, supra adductus *Nigrinus* testimonium perhibet.

AD II.

AD II.

IMPROPRIUM esse dicendi genus, *Perfectionem Partium*; rei natura non minus refutat. Modo percepimus, *Apologiam Aug. Conf.* confiteri, quod, quæ *PROPRIE* sint legis diuinæ, a regenitis *VERE* fiant: neque excipi de his quidquam poterit, nisi aliquid graduum, ut demonstratum est. Ea ipsa, & *veram perfectionem* esse in Christianismi partibus, aperte profitetur, ut vidimus. Aut dubitabimus, infantem, ratione partium habita, perfectum hominem dici *proprie?* Nec enim minus recte ac *vere perfectio partium* est, ubi harum integritas reperitur; quam *perfectio graduum*, ubi gradus non desunt. Auctor hujus in dicendo veritatis, ad diuina translatæ, ipse est Apostolus Eph. IV, 14, 15. *Ne simus amplius νήπιοι, paruuli; sed crescamus in Christum OMNIA, τὰ πάντα (μέρη.)* Si debent renati in *omnibus partibus*, ut recte B. *Lutherus* vertit, adolescere; partes omnes ex *regeneratione* adsint, oportet. conf. 1. Petr. II, 2. Quod etiam colluſtrans mente beatissimus MACARIUS, Patrum Ecclesiæ primorum decus, Libro de *Patientia & discretione*, Cap. XI. XII. scribit: *Aliquo respectu etiam illa ipsa per Sanctum Spiritum generatio imaginem PERFECTIONIS habet, & in forma, & in membris; non tamen* (gradibus) *virtute, aut mente, aut fortitudine.* Atque iterum: *Quod per Spiritum gignitur, modo quodam, ut ostendimus, perfectum est. Sicut aliquem infantulum recens natum, suo modo esse perfectum dicimus, ἐν τῷ τὰ μέρη πάντα τῆς ὁλότητος ἀποσώζειν*, in eo, quod ipsas partes omnes ipsius integritatis (*totalitatis*) saluas exhibeat. Cum habeant ergo singulas atque omnes Legis, ad quam regenerati sunt, partes vere pii, hæc partium perfectio non *improprie*, sed prorsus *proprie* appellatur.

Nec ab eo, quod inter ſtatus naturalis & ſpiritualis perfectionem eſt ſimilitudo, hanc minus *propriam* cenſere licet; utrobique enim ſunt veræ partes, in diuerſo rerum genere adæquatæ cum toto ſuo: cujusmodi comparatio neutrum ex duobus *improprie dictum* ſiſtere poteſt.

Præmiſimus initio, quam ſolicite B. CHEMNITIUS agat in hac cauſſa. Idem ſtans in acie contra *Andradium*, qui perfectionem, quæ ſine peccato eſſet, huic tribuebat vitæ; ad objectiones, de perfectione renatorum, ex Scriptura S. & Patribus petitas, non reſpondet, hanc improprie dici de illis: ut alioqui facere ſolent, qui contradicunt, de via deflectere: ſed in eo eſt, ut oſtendat, quantopere aduerſarii has ſententias deprauent. *Non eſt quæſtio*, inquit, *an renati habeant charitatem, & incipiant facere legem; hoc enim concedimus & docemus: ſed quæſtio eſt, an charitas renatorum in hac vita ſit integra, perfecta & abſoluta. Item: an PERFECTA obedientia ſatisfaciat legi.* Hinc probat omnino dicta *Auguſtini ad Bonifacium* lib. III. c. 7. *Obedientiam renatorum perfectam dici poſſe pro ſtatu viatoris. Ibidem: ſecundum hominis mortalis capacitatem, & pro hujus vitæ modulo, perfecti ſumus.* Cujusmodi eſt etiam, quod porro illic ſequitur: *Qui nondum habebat magnam illam juſtitiam, quam capit æqualitas angelorum; & propter illam, quæ jam inerat, perfectum: & propter iſtam, quæ adhuc deerat, imperfectum ſe eſſe, dicebat.* Conferantur plura ad Auguſtinum de Gratia cap. XLIX. XLIX. & de perfectione Juſtitiæ. Ad vitandum autem abuſum horum & ſimilium omnium, planam reſponſionem ſubnectit, quæ tribus diſtinctis rem momentis dijudicat: *Hoc modo mandata Dei non ſunt grauia. Primo, quia ſunt Dei filii.* quæ ipſi eſt *inchoata nouitas*, ſeu integra partium perfectio. *Secundo, quia ducuntur Spiritu Dei.* quo gradus

dus aliqui referri etiam possunt, a quibus perfectio vocatur *comparatiua*. *Tertio, quia, quicquid non sit, propter Christum ignoscitur: sicut Augustinus inquit.* ne perfectio graduum fingatur. Et statim addit: *Hoc etiam modo renati dicuntur perfecti, Philip. III. & 1. Cor. II. imputatione scilicet & inchoatione.* vid. *Exam. Concil. Trident. De Bonis Operibus Quæst. III.* ubi, circa finem, argumentum libri Augustiniani, *de perfectione justitiæ*, scripti contra Coelestinum, pari solicitudine contra Andradium sic definit: *In eo libro docet, in hac vita neminem peruenire ad TANTAM perfectionem charitatis seu inhærentis justitiæ, ut perfecta & absoluta impletione SATISFACIAT primo & ultimo præcepto, ITA, ut sit SINE PECCATO.* Similiter passim illis, qui per Spiritum Sanctum renati sunt, haud omnem adimit perfectionem, sed, cum apposítione eam, *QUAE SINE PECCATO SIT, UT SEVERITATEM DIVINI JUDICII SINE REMISSIONE PECCATORUM SUSTINERE POSSIT:* quam, quiuis intelliget, esse *graduum*, non *partium*.

OBJECTIO IV.

Rectius dici; perfectionem Fidelium sitam in eo, ut imperfectionem suam agnoscant.

RESPONS.

OPponuntur, non opponenda. Rectius vero dici, urgemus, *perfectionis PARTEM* esse, agnoscere imperfectionem suam. Nam Patres non ita dixerunt: Perfectio est, imperfectionem agnoscere: sed ita; *Perfectionis PARS*

est, imperfectionem agnoscere. Ipse celebratus CHEMNITIUS, loco adducto, hac de re perspicue pergit: *Augustinus ad Bonifacium lib. 3. c. 7. diserte declarat, quomodo perfectionem viatoris intelligi velit, cum inquit: Virtus, quæ nunc est in homine justo, hactenus perfecta nominatur; ut ad ejus perfectionem pertineat, ETIAM ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humanitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parua justitia, quando ETIAM, quid sibi desit, intelligit. Ita Apostolus, perfectum & imperfectum se esse, dicit.* GERHARDUS Loco Theol. *de Lege Dei*, postquam ipsam perfectionem partium descripsit, *serium ac sincerum studium obediendi Deo, secundum OMNIA ejus præcepta, etsi aliquid desit respectu graduum*; addit: *Hanc perfectionem renatis tribui, non diffitemur:* & pergit, de ipsa illa *recte usurpari illud veterum: Perfectionis pars est, imperfectionem agnoscere.* Et in Genes. ad illud: *Noah vir perfectus:* adhibet differentiam inter perfectionem *partium* & *graduum*, illam *viæ*, hanc *patriæ.* Ubi inter cetera & his verbis utitur: *Illius* (partium seu viæ) *perfectionis pars est, imperfectionem agnoscere.* idque tam hic, quam illic probat ex Phil. III,12. Ubi Paulina perfectio duabus partibus constat: tum priore, ut *cognoscat Christum, & vim resurrectionis ejus, & communionem ejus perpessionum*; non solum *theoretice*, sed multo magis *practice:* quod indicat Apostolus, subjungens, *ita ut conformis fiam morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* tum posteriore, *quod agnoscat, se nondum apprehendisse, vel assecutum esse finem.* Maximopere autem notandum una est; *Paulum* in secundo hoc momento non tam perfectionem suam, quam modo hujusmodi ejus partem ponere, qua, tanquam *secundaria*, eo acrius ipse excitetur ad *primariam*, in vero implendæ Legis

gis negotio verſantem, excolendam. Cohærent enim ſic verba Apoſtolica: *Non quod jam apprehenderim, aut jam aſſecutus ſim finem* (graduum): *ſed PERSEQVOR, an quoque apprehendam, cujus etiam rei cauſſa apprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Quam totam, bimembrem ſuam ſententiam, Paulus confeſtim eodem nexu repetit: *Fratres, ego me ipſum non arbitror metam comprehendiſſe. Vnum autem ago: ea quidem, quæ a tergo ſunt, obliuiſcens; ad ea vero, quæ a fronte ſunt, contendens; juxta ſcopum PERSEQVOR, ad præmium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu.* Atque hinc concludit: *Quotquot itaque PERFECTI ſumus, hoc ſentiamus.* Neque alia fuit *methodus* Vet. Teſtamenti, quam ut ſapientia ex defectuum agnitione ardentior redderetur. *Syrac.* c. LI, 19,20,21. *De certauit anima mea in ipſa, & in praxi famis accuratus fui. Manus meas extendi in altum, & IGNORANTIAS ejus LUXI. Ipſam animam meam hinc direxi ad eam, cor poſſedi cum ipſis ab initio, & in puritate inueni eam: propter hoc non derelinquar. Et venter meus perturbatus eſt ad quærendum eam: propter hoc poſſedi bonam poſſeſſionem.* Quod quidem minime videntur ſentire, qui imperfectionis agnitionem, non partem veræ perfectionis aliquam, ſed ipſam neſcio quam perfectionem interpretantur. Duo ſane ad quamlibet renouationem requirenda: *malum* exterminare, & recipere *nouitatem ſpiritus.* Rom. VI, 2,3,4. VII, 6. VIII, 10. Nec admirari ſatis poſſumus, quam fideliter *Apologia Aug. Conf.* utramque partem doceat ſemper, ut in exemplo ſub *Object. III.* prolixiori apparet; quomodo ex imperfectionis agnitione, ſi vera ſit, noui motus cordis ſpirituales redundent, vere inchoatæ perfectionis ſeu *ſpiritus fructus.* *Et quanquam bona opera*, pag. 95. ait, *in carne fiunt nondum prorſus renouata, quæ retardat motus Spiritus Sancti, & aſper-*

git aliquid de ſua immundicie: tamen propter fidem ſunt opera ſancta, diuina, ſacrificia & politia Chriſti, regnum ſuum oſtendentis coram hoc mundo. IN HIS enim SANCTIFICAT CORDA, & REPRIMIT DIABOLUM; & ut retineat Euangelium inter homines, foris opponit regno Diaboli confeſſionem Sanctorum, & IN NOSTRA IMBECILLITATE DECLARAT POTENTIAM SUAM. At vero, *cui hæc non adſunt, is cœcus eſt, nihilque vere cernens, OBLITUS, ſeſe a veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum.* 2. Petr. I, 9. id eſt, tam alienus a perfectione, quæ ſit in *agnitione imperfectionis*, ut, hæc quid ſit, ſibi utut videatur ſcire, juxta cum ignaris calleat. Quamobrem uſum ejus dicti a nocentiſſimo abuſu liberat *Auguſtinus*, de Spiritu & lit. cap. ult. monens: *Per hoc* (præceptum de dilectione Dei & proximi) *quantum mihi videtur, in ea, quæ PERFICIENDA eſt juſtitia, multum in hac vita PROFECIT ille, qui, quam longe ſit a PERFECTIONE juſtitiæ, PROFICIENDO cognouit.* Proficiendo, inquit; non, deficiendo. Mens Auguſtini eſt eadem, quæ Johannis 2. Ep. v. 8. *ATTENDITE VOS IPSOS, ne perdamus, quæ operati ſumus, ſed ut mercedem plenam recipiamus.* Huic ardori, ut augeatur, inſeruit illa attentio: *Meditat. Satr. Gerhardi* XXVII. idem habet. *In via Domini aut proficimus, aut deficimus. Singulis ergo diebus vitam tuam examina, an in pietatis ſtudio proficias, aut deficias. Stare in via Domini, eſt retrogredi: non ergo te delectet, in curſu pietatis ſtare; ſtudeas autem ſemper, in via Domini ambulare.*

Fructus Redemtionis eſt duplex. Gratia Jeſu Chriſti, ſeu promiſſio Euangelica, non una, ſed gemina eſt; Remiſſionis peccatorum, & virium Spiritus Sancti. Nemo illam ſine hac poteſt; neque hanc ſine illa, vere habere. Illa, hujus fundamentum; hæc, illius documentum. Obliuiſcitur ſtatus imperfecti ſalutariter agnoſcendi, in

ipſo

ipso qui temere acquieſcit, nec curat firmare integritatem ſuam. 2. Petr. I, 9, 10. quod dictum Apoſtoli vix ſatis hîc commendare poſſumus.

COROLLARIUM.

FInem huic disquiſitioni imponentes, optamus illud unum, ut cauſſa iſthæc a quouis dijudicetur non aliter, quam vero LUTHERI hac in re & ſpiritu & ſenſu, quem DANNHAWERUS *Hodoſoph.* p. 496. commendat ex *Tom. III. Lat.* p. 18. *Lex Spiritus eſt, quæ nullis prorſus ſcribitur litteris, nullis profertur verbis, nullis cogitatur cogitationibus: Sed eſt ipſa viua voluntas, vitaque viua, vitaque experimentalis; res quoque ipſa, quæ ſcribitur digito ſolo Dei in cordibus. Rom. 5. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum. De qua & Hierem. 31. ut ex illo Ebr. 8. adducit Apoſtolus: dabo leges meas in mentes eorum, & in corda eorum ſuperſcribam eas. Hæc, inquam, intellectualis lux mentis, & flamma cordis, eſt Lex fidei, Lex noua, Lex Chriſti, Lex Spiritus, Lex gratiæ juſtificans; OMNIA implens, & carnis CONCUPISCENTIAS crucifigens.* Nos enim, Perfectionem Partium defendentes, per eam nihil omnino aliud intellectum volumus, quam id ipſum, quod diuinus Pater allatis illis deſcriptionibus in homine ex *regeneratione* ponit. Tollat, oportet, e Scripturis ac renatorum cordibus, ipſum Euangelii Spiritum; vel probet, eum Legi non toti reſpondere, ſeu reddere, *QUOD LEGIS* eſt; (*QUANTUM*, quærere, jam nihil attinet:) ſi quis uſitatam partium perfectionem integram ex Theologia ſublatum eat. Hoc unum qui obſeruarit, nec Scripturæ S. *dicta*, nec *rationes* ullas aduerſus ipſam pugnare, facillime animaduertet. Partes Legis a *regenito durante* cunctas ſeruari, nulla veritas

ritas negabit usquam: quicquid videbitur contrarium in Scriptis *Biblicis*, vel non dictum fuerit de *Stantibus*, ut *talibus*; quemadmodum illud Rom. VII, 7, 8, 9. respiciens statum pristinum, indicatum etiam v. 5. vel, si de iis accipi quiddam posse statuatur, non euertet integritatem *partium*, sed *graduum*: sicut ibidem v. 20, 21. nemo *orthodoxorum* sentit, agi de peccato prorsus dominante: multo minus e toto illo capite extorquere quisquam poterit hanc mentem, ac si id, *Non concupisces*, opposito regenerationis Spiritu, & inchoata veritate seruari a se posse, neget Apostolus. Nam ut cap. sequ. VIII. ita & Gal. V. rem eandem tractans, increpat: *DICO autem; Spiritu incedite, & concupiscentiam carnis nullatenus perficietis:* v. 19. item, *si Spiritu ducimini, non estis sub lege*: v. 18. & iterum, *Si viuimus Spiritu, Spiritu incedamus*, si modo *crucifiximus carnem cum affectibus & concupiscentiis*: v. 24, 25. quæ singula, identidem ponderanda, Spiritum Gratiæ regnantem, præcepti ultimi effectorem esse, pronunciant. Nec Jacobi effata contrauenium, cum perfectione partium plane conspirantia. *Quicunque enim totam legem seruabit, offendet autem in uno*, sic *omnibus tenetur*, (Cap. II, 10.) ut nullo modo inter *Stantes* reputandus sit amplius, verum ad *lapsos* pertineat, neque ad hanc quæstionem referendus: nam fieri posse, ut perfectus non maneat perfectus, extra hanc caussam est. Quod dicit idem cap. III, 2. *In multis offendimus omnes*: hæc de *lapsibus proæreticis* ne sumamus, adducimur auctoritate & ratione Sebast. SCHMIDII, argumentationem rectissime interpretantis *a minori ad majus*; Si nec pii doctores lapsuum, saltem infirmitatis, expertes sunt; quanto magis, cum ex turpi ambitione & inuidia docere contendunt, contra quos ibi agitur, Spiritu regenerationis dudum expulso,

pulſo, in varios malitiæ lapſus incident! Et promiſcue quidem τῷ πταίειν uti *Jacobum*, de peccatis *voluntariis & inuoluntariis*, non mirum fuerit, conſideranti, *Paulum* Gal. VI, 1. etiam παράπτωμα, quod grandius quid ſonat, quam πτᾶισμα, de tentatis, necdum penitus lapſis, modo certo adhibere. Qui vero nitentur contrà, putantes, de *voluntariis* dici & *mortalibus*; meminerint, neque eo quidquam obtineri, quin fideles, qua *Stantes* manſerint, perfectione partium conſiſtant. *Lapſos* etenim, quis ſtantes, vel perfectos, dixerit? Manebit enim certe; quamdiu Stantes ſint, eos non *proæretice* labi, nec legis partem diſſoluere. Quod pergit Apoſtolus: *Si quis in ſermone non labitur, hic perfectus vir eſt*: vel de perfectione *abſoluta*, vel de *inchoata* intelligendum. De inchoata, ſeu partium, id agere, perſuadet totus orationis contextus, præſertim in fine capitis, ubi ipſa *partium perfectio* eleganter depingitur: nam iis, v. 8. *linguam domare nullum hominem poſſe*, agi de natura humana, τῇ Φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ, videlicet nondum ſanata per regenerationem, monſtrant proxime antecedentia. Neque vero illud: *Si quis in ſermone non labitur, hic perfectus vir eſt*; *ſimpliciter* de immunitatis apice, ſed pro *comparatiuo* gratiæ ſtatu, poſitum arbitramur: qua ratione I. Cor. III, 1, 2, 3. II, 6. 15. propter eandem linguæ continentiam, *carnalibus* opponuntur *ſpirituales* atque *perfecti*. Acceperit autem de *perfectione abſoluta*, qui maluerit; ſenſus tum hic fuerit totus: Si omnes nondum viri plane conſummati ſumus, vos multo maxime, qui ambitione abrepti eſtis, affectu iſto ad delicta prolabemini. Quo ipſo nihil comprehenditur, quod facultatem præſtandæ legis, inchoatam integre apud fideles, quam nos defendimus, dubiam reddat. Quocunque tandem modo ſe vertat e-

jusmodi oppositio, vel afferuntur lapsus contra conscientiam commissi, quibus labentes omni legis parte excederunt, sed non quatenus stantes, nedum perfecti; vel *imbecillitates*, quæ ipsos parte legis nulla funditus priuant, nec tollunt gratiæ integritatem; vel *gradus* negantur, at remanent tamen *partes*. Cujusmodi est Luc. XVII, 10. *Cum feceritis OMNIA, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus; nam quod debuimus facere, fecimus.* In quæ verba optime *Apologia* A. C. p. 132. *Serui inutiles significant insufficientes, quia nemo TANTUM timet, TANTUM diligit Deum, TANTUM credit Deo, QUANTUM oportuit.* Quocirca eiusdem verbis profitemur: *Sic sentiendum est de omnibus similibus locis.*

Si autem quidam eo impotentiæ processerint, ut scribant, *Conuersionis & Renouationis* partes, quæ perfectionem hanc inchoatam efficiant, debere quidem fieri, sed non fieri a *Fidelibus*; aut, bona opera tanquam *fructus Spiritus*, instauratæ in mentibus *salutis*, seu *Christianismi*, esse partes, ausi fuerint negare: quum utrique Scripturæ S. directe contradicentes, ignorent, quid egerint; ad tantam Ecclesiæ illatam injuriam agnoscendam, deplorandam ac delendam, ut permoueantur, Æternam Misericordiam imploramus.

FINIS.

EMENDANDUM.

PAg. 91. l. 28. pro *ultimis* leg. *ceteris.*

DISPU-

DISPUTATIONIS CONSPECTUS.

CAP. I. QUAESTIONIS STATUS EXPLICATUR.

§. I. Doctrinæ de Perfectione clauis Chemnitiana.
Historia Pelagiana.
Simplicior docendi ratio propter abusum mutata in distinctiorem.
Testimonium de sincera prudentia in distinguendo.
§. II. Subjectum quæstionis, Stantes.
Hi dicti a Statu Gratiæ.
§. III. Occasio receptæ distinctionis inter graduum & partium perfectionem.
Distinctio Pontificiorum peccat in fundamento.
Necessitas distinctionis orthodoxæ. Auctoritates.
§. IV. Perfectio Partium respicit omnia & singula Decalogi præcepta.
Horum impletionem perfectam Perfectio Graduum sola exigit.
Consensus Reformatorum.
Integralis Perfectionis natura.
Testimonia in eam rem.
§. V. Tractatio non logomachica.
Momentum ejus practicum.
§. VI. Testimonia quædam generaliora.

CAP. II. THESIS FIRMATUR, ex principiis duobus.

Propositio I. Legis partem nullam deesse fidelibus.

§. I. Lex stabilita in Fidelibus.
§. II. Idem confirmatur Ecclesiæ documentis.
Nota. De legis sensu & usu.
§. III. Tota lex in Stantibus stabilita.
Prima difficultas, de Lege spectanda subjective.
Altera, de Legis littera negatiua.
Nota. Lex Christi & Mosis eadem.
§. IV. Probat. ex aliis dictis Scripturæ S. 1. Serva mandata.
2. Charitas, Legis totius impletio.
3. Sitis perfecti, in nullo deficientes.

Propositio II. Legis parte ulla non effecta, gratiam ipsam tolli.

§. I. Gratia, in uno Legis spiritu sita.
§. II. Probat. e dictis Scripturæ S.
§. III. Illustrat. per testimonium.
Nota. Fideles charitatem Dei habent passiue.

THESIS CONFIRMATUR.

§. I. Fidei & charitatis spiritus, Legis forma, in omnibus præceptis retinetur.

Idque adeo verum, ut ejus etiam incrementa obtineantur.

§. II. Auguſtinus, contra perfectionem Pelagianam pugnans, veram non negat, ſed commendat.

Teſtimonia ipſius de ſupernaturali affectu, quo lex impleatur.

Plura ejusdem, de ſpiritu vincente carnem in omnibus præceptis, & Legem faciente.

Perfectionis dictio apud Auguſt. de Stantibus.

Theſis, ad diſcrimen Legis & Euangelii neceſſaria.

§. III. Hypotheſis oppoſita, aduerſatur ſacris litteris; de Conuerſione.

Item, de Renouatione.

Theſis obſignatur.

CAP. III. ANTITHESIS REFELLITUR.

Obj. I. Eſſe etiam gradus Legis partes.

Reſp. Gradus, qui inhæreant Fidelibus, Pactum Euangelicum agnoſcit tanquam minus principales.

Teſtimonia, de perfectione graduum in Chriſto; & partium in Stantibus.

Obj. II. Partes non omnes ſeruari: non primam; nec ultimam: dominium Spiritus non ſufficere: peccatum haud tolli.

Reſp. ad I. Non reſiliendum ad gradus: partes ſubſtantiales ſeruari omnes.

Loca imperfectionem arguentia, Theſi non aduerſantur.

Conciliantur, quæ vulgo vel de perſeuerantia, vel de locutionibus uſitatis, v. c. *ex parte*; opponuntur.

Ad II. Prima Legis pars a Fidelibus ſeruatur.

Ad III. Ultima, cum prima & reliquis. Accommodatur indoles perf. partium.

Oſtenditur hæc in præcepto primo.

In ultimo eadem reputanda.

Argum 1. ſoluitur; quod decimum præc. in ſeruando non diffellatur a reliquis, ſed potius fundamentum iis præbeat.

2. Littera negatiua non exhaurit præceptum X.

3. Victoria maxime eſt præcepti X.

Ad IV. & V. Dominium ſpiritus vivificum omnia præcepta efficit.

Ad capiendum, quomodo in renatis peccati reliquiæ integritatem præcepti ultimi ſuffocare nequeant, praxis neceſſaria. Illi, habentes peccatum, non faciunt illud, ſed Legem; id ipſum vero ſibi inſeruire cogunt.

Status peccati cum gratiæ ſtatu haud confundendus.

Obj. III. Locutionem eſſe æquivocam, & impropriam.

Reſp. ad I. adhibita illa potius ad tollendam æquiuocationem.

Neque aliæ ambiguitatem æque tollunt.

Ad II. Proprietas explicatur.

Confirmatur.

Obj. IV. Perfectionem potius ſitam in agnitione imperfectionis.

Reſp. Hanc omnino eſſe partem perfectionis partium, nec ipſi opponendam.

Redemtionis fructus non modo Juſtificatio, ſed etiam Sanctificatio.

COROLLARIUM remouet cetera, quæ obſtare videri poſſint.

* * *

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Breithaupt, Joachim Just,

Joach. Justi Breithaupt ... de perfectione partium tractatio theologica

Hala 1705

4 Diss. 2094#Beibd.29
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10828040-8
VD18 14854201-001